



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1626

Quæstio VII. De Reprobatione diuina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

v. 16. Ipse spiritus testimonium reddit, quod sumus filij Dei. Item libenter, & cum interno quodam gustu audire seu legere Verbum Dei, iuxta illud Ioann. 8. v. 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Ioann. 10. vers. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me;* de qua re Gregorius homil. 18. in Euang.

14

Specialissima autem signa sunt, magna & diuturna cum Deo familiaritas in oratione, alijsque rebus agendis; mortificatio quasi perfecta passionum; insignis huius vitæ ac mundi sui que contemptus ac despicientia; flagrans & firmatus erga Deum amor; desiderium ardens multa pro Christi nomine perpetuendi; quibus adnumerari etiam subinde possunt miracula, donum prophetiæ, aliaque gratiæ gratis data; si cum pietate vitæ coniungantur, qualia indicia in S. Augustino, S. Francisco, S. Dominico, S. Ignatio, alijsque Sanctis eximie eluxerunt, &c. qui de se dicere poterant Apostolicum illud; *Vivo ego, iam non ego, vivit verò in me Christus.* Itē, *Mihi vivere Christus, & mori lucrum.* Item Davidicum illud; *Quid mihi est in celo, & a se quid volui super terram, &c.*

Quod verò hæc signa, siue adsint, siue absint,

nulli mortalium salutis spem & facultatem adimant, ex eo patet, non solum quia nemo ferè est, saltem ex Christianis, qui non vnum aut alterum, eiusmodi prædestinationis signum habeat, saltem remotum; sed etiam quia esse sit peccator maximus, & re ipsa nunc omni prædestinationis signo destitutus, facile tamen est Deo subito honestare pauperem, vt de latrone, & Paulo diximus. Idem constat de gentilibus in medijs Indijs constitutis, qui subito nonnunquam, & admirandis modis ad salutem perducuntur. Et cum bona vita, & conscientia, aliisque virtutes, & perfectio Christiana, in hominis potestate, cum diuina gratia, quæ nulli denegatur, sita fiat, facile constat, posse ac debere insuper omnes eò conitti, vt potissima prædestinationis signa in se vel maxime emiteant; quod ad solatium & salutis studium satis omnibus esse debet. Infallibilia enim signa nemo expectare debet, nec querere; cum extra specialem Dei reuelationem (qualis vix sine temeritate postulari à quoquam potest) sint nulla, vt antea dictum. Atque hæc de diuina Prædestinatione satis, nunc de Reprobatione agendum.

QVÆSTIO VII.

De Reprobatione diuina.

S. Thomas I. p. q. 23. a. 3. & 5.



Absoluetur hæc quæstio quinque dubitationibus. I. An, quid, & quotuplex sit reprobatio; & quo modo ad prædestinationem se habeat. II. Quinam sint effectus reprobationis. III. An & quæ sint causæ totius reprobationis; præsertim ex parte reprobis. IV. Quo ordine ac processu in mente diuina fiat reprobatio; siue ipsos actus eius inter se, siue eam cum prædestinatione conferamus. V. An & quomodo reprobatio sit certa; & simul cum libertate arbitrij consentiens. Quæ omnia suppositis ijs, quæ de prædestinatione hæcenus differimus, breuiter expediri possunt.

DVBIVM I.

An, quid, & quotuplex sit Reprobatio: & quo modo ad Prædestinationem se habeat.

S. Thomas I. p. q. 23. a. 3.

Reprobi, quasi reprobati & reiecti à Theologis dicuntur omnes homines, vel Angeli, qui gehennæ addicuntur, aut beatitudinem non consequuntur, iuxta Apostolum 1. Corinth. 9. v. 27. & 2. Corinth. 13. v. 5. 6. & 7. Heb. 6. ver. 8. tamen si alioquin in Scriptura Eccli. 9. v. 11. Rom. 1. v. 28. 2. Timoth. 3. v. 8. Tit. 1. v. 16. hoc nomen communiter omnibus improbis tribuatur. Vocantur ijdem etiam *vasa in contumeliam*, Rom. 9. vers. 21. 2. Timoth. 2. v. 20. item, *vasa iræ* Rom. 9. v. 22. Vocantur quoque à Theologis absolute *præfuiti*, communi generis nomine, ob imperfectionem, eis idcirco quasi appropriato, quod præsentia tan-

tum diuina in eos, non etiam, vt in electos, peculiaris illa approbatio, seu amor voluntatis diuina feratur.

Differit non nihil secundum modum appellandi reprobatio à prædestinatione, quod hæc proprie & formaliter non est nisi actiua in ipso prædestinante; à qua per solam denominationem extrinsecam aliquis dicitur prædestinatus; reprobatio autem, quia generatim non solum actum in mente reprobantis, sed etiam actionem transeuntem ac passionem in reprobante significat; dicitur enim & lapis ab ædificante reprobati, non solum dum mente velut inutilis ad ædificium designatur,

sed

sed etiam dum manu & actione externa, à lapidibus ad ædificium delectis, rejicitur; idcirco reprobatio alia dicitur actiua, alia passiuæ; quæ prioris quidam effectus est. In præsentem tamen loco, cum de prædestinatione absolute sermo est, actiua immanens solum intelligitur, quæ in reprobante est, non passiuæ. His circa quid nominis suppositis, ad propositam dubitationem sequentibus assertionibus ordine respondemus.

Assertio I. Reprobatio seu reiectio actiua immanens ab æterna gloria, propriè ac intrinsecè Deo conuenit. Ita communis Doctorum cum Magistro in 1. d. 40. & S. Thomæ hic q. 23. a. 3. contra Aureolum, in 1. d. 41. q. 1. a. 3. propositio. 4. quæcum propriè in Deo esse negat: eod quod odium, abominatio, & detestatio, non sint propriè in Deo. Sed fundamentum hoc, non minus quam ipsa assertio, falsum est, ut patet ex dictis disp. 2. q. 10. dub. 1. & ex comuni etiam notauit Suarez lib. 5. de prædest. c. 1. n. 4. Ratio assertionis est. Quia Deus ipse est, qui actu interno mentis suæ, tum homines, tum Angelos rejicit & excludit à gloria statuens scilicet efficaci voluntate seu decreto, ut quidam ex illis ad gloriam non perueniant, sed damnentur. Huc spectat illud Rom. 9. versu 13. *Iacob dilexi; Esau autem odio habui.*

Assertio II. Reprobatio actiua, de qua loquimur, non minus quàm prædestinatio, est actus quidam liber mentis diuine, intellectus ne formaliter ac præcipuè, an voluntatis, non secus controuertitur, ac de prædestinatione dictum q. 2. dub. 2. conuenienter tamen S. Thomæ hic q. 23. a. 2. & 3. & comuni Theologorum sententiæ ibidè relata, dicendum est, eam præcipuè ac formaliter esse actum diuini intellectus. Ita præter auctores ibidem citatos, asserit etiam Suarez hic lib. 5. de prædest. c. 2. licet de prædestinatione, ut vidimus, aliter locutus sit. Ratio est. Quia contraria sunt in eodem subiecto, eiusdemque generis: cum ergo prædestinatio sit formaliter actus intellectus, non voluntatis, id pariter etiam de reprobatione, quæ ei contrariè opponitur, sentiendum est: esto per actum voluntatis adiunctum nonnunquam explicetur, ut patet cit. loco Rom. 9.

Assertio III. Actus ille diuini intellectus, qui Reprobatio dicitur, seruata proportione, eodem modo explicandus est, ut superius q. 2. dub. 2. de prædestinatione diximus: nimirum esse iudicium quoddam practicum, re ipsa quidem ad scientiam simplicis intelligentiæ pertinens, quo nimirum iudicatur bonum ac conueniens, hunc vel illum ob sua peccata damnari, seu excludi à beatitudine &c. verum non nudè, sed ut approbatum efficaciter per voluntatem; qua ratione scientiam approbationis (quæ causa rerum est) dici ibidem notauimus. Vnde reprobatio, inquit S. Thomas, hic quæst. 23. art. 3. *non nominis præscientiam tantum, sed aliquid addit secundum rationem; sicut & prouidentia. Sicut enim prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam; ita reprobatio includit voluntatem permitte[n]di aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis penam pro culpa.*

Assertio IV. Reprobatio, non secus ac prædestinatio, pars quædam est diuinæ prouidentia,

non quidem subiectiua, sed obiectiua, & quasi integrans, ut de prædestinatione dictum quæst. 2. dub. 3. Ita cum S. Thomæ cit. quæstio. 23. art. 3. Suarez lib. 5. capit. 2. numero 5. & alij, quos in eandem sententiam de prædestinatione loc. cit. citauimus, tametsi nonnulli sentiant, esse partem subiectiuam, ut ibidem dictum. Ratio S. Thomæ est. Quia ad prouidentiam pertinet, permittere aliquem defectum in rebus, quæ prouidentia subduntur, ut supra dictum est. Vnde cum per diuinam prouidentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad diuinam prouidentiam, ut permittat aliquos ab isto fine deficere. Et hoc dicitur reprobare. Sic igitur, sicut prædestinatio est pars prouidentia, respectu eorum, qui diuinitus ordiuntur in æternam salutem; ita reprobatio est pars prouidentia, respectu illorum, qui ab hoc fine decidunt. Accedit, quod ad bonum prouisorem spectat, non tantum remunerare bonos, sed etiam punire malos; quorum primum est effectus prædestinationis; hoc vero reprobationis.

Assertio V. Reprobatio actiua, celebri, vetera, & antiquis Theologis optimè perspecta diuisione, alia est & dicitur negatiua; & secundum quid talis, puta formaliter consistens in sola omissione seu negatione gratiæ electiouis, siue ad gratiam, siue ad gloriam; alia positiua, quæ simpliciter talis dicitur, consistens in actu positiuo, quo aliqui velut indigni excluduntur siue à gloria, siue etiam à gratia congrua. Hæc assertio est contra quosdam recentiores Theologos, assertores prædestinationis ad gloriam ex meritis, qui, ut oppositam sententiam exorsam reddant, aiunt, eam hæc etiam ex parte, dum reprobationem aliam positiuam, aliam negatiuam facit, rem nouam, & veteribus Patribus ac Theologis inauditam tradere; quasi nihil ipsi de reprobatione negatiua docuerint; quod falsum esse ex sequentibus patebit.

Primo enim Magister sententiarum & Scholasticorum antiquissimus, in 1. dist. 41. apertè docet, obdurationis quidem & damnationis ex parte hominis dari causam & meritum; reprobationis vero nullam dari causam siue meritum. Sic enim ait lit. A. *Si autem querimus meritum obdurationis & misericordie, obdurationis meritum inuenimus; misericordie autem meritum non inuenimus.* Et paulo post: *Misericordia, inquit, nullam aduocat meritum; obduratio uero non est sine merito.* Et misericordie uerbo hic accipitur prædestinatio; & præcipuè prædestinationis effectus; obdurationis uero non ipsa æterna Dei reprobatio, quia eius nullum est meritum, sed gratiæ priuatio siue subtractio, quæ quodammodo est reprobationis effectus. Et infra lit. D. ait: *Elegit ergo eos quos uoluit gratuita misericordia, &c. Ita etiam reprobauit quos uoluit, non propter futura merita, quæ præuideret; ueritate tamen rectissima, & à nostris sensibus remota.*

Quæro, de qua reprobatione his locis loquatur Magister, an de positiua illa, quæ æternæ damnationis preparatio est; certè hoc dici non potest, nisi uelimus Magistro Caluini errorem tribuere; quasi uenisset, Deum solo suo arbitratu, ante præuisionem meritorum, destitisse quosdam ad æternam damnationem: necesse est ergo, ut Magister his locis agat de reprobatione negatiua, cui nullam

dari

dari causam ex parte reprobī, inferius dub. 4. videbimus. Interim tamen etiam positiuam reprobationem Magistro incognitam non fuisse, constat ex dist. 40. lit. D. ubi ait, *Reprobatio est conuersio intelligenda est, præsentia iniquitatis quorundam, & præparatio damnationis eorundem.* Certè præparatio siue decretum damnationis in Deo, non fuit ante præuisionem peccati & meritorum. Necessariò ergo apud Magistrum admittenda est duplex reprobatio; vna quæ vocat *præparationem damnationis*, quæ supponit præsentiam iniquitatis; altera quæ præcise consistit in negatione gratiæ congruæ, seu quod idem est, in permissioe ac derelictione finali in aliquo peccato mortali; cuius nulla datur causa: quarum illa reprobatio positua est, hæc negatiua.

9 Sed & S. Thomas hic q. 23. art. 3. non obscure vtramque prædestinationem, tam positiuam, quæ negatiuam indicat; quando duobus modis reprobationem describit, quorum vnus proprie nonnisi reprobationi negatiuæ, alter positiuæ conuenit. Ita enim loquitur ibidem in corp. [Cum per diuinam prouidentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad diuinam prouidentiam, vt permittat aliquos ab isto fine deficere. Et hoc dicitur reprobare.] Itaque reprobatio secundum S. Thomam, vno quodam sensu, est permissio Dei, qua permittit aliquos ab vltimo fine deficere: quæro, an hæc permissio sit reprobatio positua, seu decretum posituum æternæ damnationis. Certè hoc nemo dixerit. Est ergo, vt verba ipsa indicant, reprobatio solum negatiua, quandoquidem permissio vt sic defectum vel ab vltimo fine, solum negationem formaliter significat. Et nihilominus tamen idem S. Thomas ibidem infra reprobationis posituæ mentionem & descriptionem nequaquam prætermisit, cum ait; *Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis penam pro culpa.* Rursum reprobationem negatiuam indicat idem sanctus Thomas ibidem ad 1. cum ait: *In quantum Deus quibusdam non vult hoc bonum, quod est vita æterna, dicitur eos habere odio, vel reprobare.* Reprobationis vero posituæ meminit resp. ad 2. ubi ait: *Reprobatio nõ est causa eius, quod est in presenti, scilicet culpa, sed est causa derelictionis à Deo. Est tamen causa eius, quod rediditur in futuro, scilicet pena æterna.* Similia habent Ægidius & Richardus in 1. d. 40. & 41. qui ante Scotum prædestinationem gratuitam ad gloriam docuerunt, vt dictum supra q. 5. dub. 3.

10 Post hos verò eandem distinctionem duplicis prædestinationis, non quidem à se primùm excoGITATAM, sed ab antiquis Scholasticis acceptam, vt vidimus, multò clarius & apertius tradidit Scotus in 1. dist. 41. quæst. vn. §. *Contra istud*, cum sibi hanc proposuisset difficultatem: [Petrus & Iudas æquales in naturalibus, voliti à Deo in esse, existentia, in illo instanti, in quo offeruntur voluntati diuinæ in existentia naturali, & æquales, Deus per te primo vult Petro beatitudinem, quæro tunc, quid vult Iudæ? Si damnationem, habetur propositum, quia tunc reprobat sine omniratione; si beatitudinem, ergo prædestinat Iudam.] Ad eam difficultatem his verbis responde-

Scotus: [Dici potest, quod in isto primo instanti, nihil vult Iudæ; sed tantum est ibi negatio volitionis gloriæ; & similiter quasi in secundo instanti natura, quando vult Petro gratiam, adhuc nullus actus posituus voluntatis diuinæ est circa Iudam; sed tantum negatiuus. In tertio instanti, quando vult permittere Petrum, esse de massa perditionis, siue dignum perditione; & hoc siue propter peccatum originale, siue actuale, tunc vult permittere Iudam simili modo esse filium perditionis: & hic est primus actus posituus informis quidem circa Petrum & Iudam; sed ex isto actu est illud verum, Iudas erit finaliter peccator, positus illis negationibus, scilicet quod non vult sibi dare gratiam, nec gloriam. In quarto instanti offertur Iudas, vt peccator finaliter voluntati diuinæ, & tunc ipse vult iuste punire & reprobare Iudam.] Ita Scotus.

Tantum verò abest, vt hæc doctrina Scoti posita in 1. d. 47. quæst. vn. displicuerit, vel ab eo fuerit vilo modo retractata, vt etiam ibidem fuerit non leuiter confirmata. Explicans enim, an & qualem in Deo actum ponat permissio peccati, ex ipsa non electione Iudæ ad gloriam, ita loquitur: [Permissio est signum voluntatis diuinæ: huic autem non correspondet aliquid in ipsa voluntate diuina, nisi non velle prohibere illud fieri, siue non velle: quod est negatio actus diuini positui, & per consequens non est actus posituus. Et quod dicitur volens sinere, hoc potest intelligi, non quod habeat velle rectum circa illud quod permittit, sed actum reflexum. Offertur enim voluntati suæ hunc peccatum vel peccare; primo voluntas eius circa hunc non habet velle: velle enim ipsum habere peccatum non potest: secundo potest intelligere voluntatem suam non volentem hoc, & tunc potest velle voluntatem suam non velle hoc; & ita dicitur volens sinere, & voluntariè permittere. Sicut ex alia parte præsentato sibi Iudæ, primo Deus habet non velle sibi gloriam, & non primo nolle; secundum illam positionem dist. 41. & potest tunc secundo se reflectere super istam negationem actus, & velle eam: & ita volens, siue voluntariè non eligit Iudam finaliter peccatum; & non in olitionem gloriæ; sed, non volitionem gloriæ.]

Quo loco vides Scotum referre & repetere, atque etiam approbare doctrinam illam de reprobatione negatiua traditam dist. 41. Adicit vero nihilominus, tamen si Deus in primo illo signo, quo non vult gloriam Petro, vt sic nullum actum posituum habeat, in qua re etiam proprie & formaliter consistit reprobatio negatiua, vt dictum, nihilominus Deo, in posteriori quodam signo rationis, supposita iam apprehensione & cognitione eiusdem negationis, rectè tribui volitionem positiuam quasi reflexam, non super actum posituum, sed super negationem prædictam actus positui, qua nimirum Deus velit ipsam illam negationem, non quod formaliter reprobatio negatiua consistat in illo actu posituo, sed quod con comitanter seu potius consequenter ad eam se habeat. Qua de causa etiam in ipsa assertionedixi, reprobationem negatiuam consistere in sola omiffi-

omissione seu negatione gratiæ electionis; vt nimirum simul significarem, non repugnare interim ipsi actum positium concomitantem, aut consequentem quasi reflexum, quo ipsa negatio hæc Deo positiuè voluntaria sit, vt inferius dicetur.

12 Eandem verò distinctionem duplicis prædestinationis tradunt communiter Scotistæ cæteri, speciatim Bassolis distinct. 41. quæst. vnica art. 4. Tartaretus ead. dist. 41. quæst. vn. Lycherus ibidem, Franciscus de Mayronis ead. dist. 41. quæst. 4. vbi citat etiam Augustinum, item Bargius dist. 12. quæst. 2. & dist. 41. q. vn. Nec ab his dissentit Brulefer dist. 40. a. 2. q. 2.

Eandem denique assertionem necessario sequuntur omnès illi, qui docent. prædestinationem electo:um factam esse ante præuisionem meritum, vt mox dicitur: speciatim autem ex recentioribus ita docent Cordubal. 1. q. 56. opin. 5. Bellarminus l. 2. de grat. c. 16. Suarez l. 5. c. 4. & 5. & fatetur etiam inter Thomistas admodum receptam, Vasquez d. 95. c. 2. n. 7. Eadem est sententia S. Augustini, & aliorum, quos citabimus dub. 3. dum docent, reprobationis nullam dari causam ex parte reprobis; quod nonnisi de reprobatione negatiua intelligi potest.

13 Vnde etiam probatur assertio. Primò ex Scriptura, quæ docet, Deum ante præuisionem meritum, & dilexisse Iacob, & odio habuisse Esau; quorù illud ad prædestinationem Iacobi; hoc ad reprobationem Esau non quidem positiuam, sed negatiuam pertinet, vt dicemus. Secundò ex simili doctrina S. Augustini dub. 3. referenda. Tertio ratione. Nam si Deus ante omnem præuisionem meritum, tum ad gratiam, tum ad gloriam prædestinavit electos; necessario fatendum est, cæteros in eo signo non prædestinasse. Si enim prædestinasset, iam nulli forent reprobi. Ergo vel positiuo decreto eos damnandos censuit; & hoc dici non potest; Deus enim neminem damnat absque meritis; aut ce rtè solum negatiuè se habuit, non eos prædestinando, seu non volendo eis gloriam: esto consequenter hanc ipsam negationem actu quodam voluntatis quasi reflexo voluerit, de quo infra. Quo concesso, habetur intentum. Et hæc est ratio Scoti: quæ sanè dissolui prius non potest, quam prædestinatio ante præuisa merita tam ad gratiam quam ad gloriam euertatur: quod nemo faciat.

14 Huc spectat, quod ipsimet aduersarij, quod ad rem ipsam attinet, reprobationem eiusmodi negatiuam saltem à gratia necessario admittere debent. Fatentur enim ipsi prædestinationem ad gratiam congruam factam esse ante omnem præuisionem meritum; quæro ergo in eo instanti, quo electis prædestinavit gratiam congruam, quomodo se habuit erga reprobos: an absoluto decreto positiuo voluit eos ad hanc poenâ damnare, vt velut indignos excluderet à gratia congrua? Quomodo autem velut indigni hac poena multari poterant, in quibus nulla demeritorum præuisio antecessit? Si autem solum quasi negatiuè se circa illos habuit, non volendo scilicet eosdem prædestinare seu præeligere ad gratiam congruam, esto

simul voluerit etiam hanc eiusdem actus negationem, vt antea in simili diximus, habetur intentum; nimirum Deum in eo instanti reprobasse illos à gratia congrua reprobatione negatiua.

15 Secundò iidem authores apertè docent, reprobationem inadæquatè duobus modis accipi: primò pro sola ad poenas æternæ damnationis prædestinatione; secundo, p permissione ac derelictione finali, in aliquo peccato originali, vel actuali; & illius quidem dicunt dari causam; huius nullam: quid autem est hæc derelictio, cuius nulla datur causa, nisi reprobatio negatiua? Certè Suarez loc. cit. negationem gratiæ congruæ, in qua derelictio consistit, absolutè ad reprobationem negatiuam pertinere asserit: & ipsa permissio & derelictio per se nihil positium sonant, sed solam negationem. Datur ergo reprobatio negatiua; præter positiuam, qualis vtique est destinatio ad poenas æternæ damnationis. In quem sensum etiam Vasquez disp. 95. cap. 5. n. 22. cum retulisset eorum Doctorum sententiam, qui docent, reprobationis à gratia, quam ipsi, inquit, permissiuam (siue negatiuam) dicunt, non dari causam ex parte ipsius reprobi, subiungit: Hoc tantum in eorum sententia mihi non probatur, quod asserunt, circa negationem gratiæ congruæ, & permissionem peccati, DEVM se habuisse negatiuè. Agnoscit, ergo Vasquez reprobationem permissiuam; modo non negetur, DEVM positiuè etiam eam permissionem seu negationem voluisse, quod nos etiam dicemus assert. 6.

16 Omitto quod nonnulli ex iisdem authoribus apertè agnoscunt, Deum in aliquo instanti negatiuè se habuisse quoad voluntatem efficacem gloriæ erga reprobos. Ita enim docet Vasquez disp. 95. cap. 2. num. 9. vbi ait: [Quare circa reprobos per illa varia instantia, sic exillimo voluntatem Dei se habuisse. In primo quidem instanti positiuè illis desiderauit beatitudinem, sed affectu simplicis complacentiæ, &c. sed quod attinet ad actum efficacem voluntatis, in eo instanti negatiuè se habuit Deus erga reprobos: primum quia tunc non voluit excludere à regno; nam si dicamus, tunc excludere voluisse, plura sequuntur absurda: tum etiam quia non voluit non excludere; si enim efficaciter voluisset non excludere, reuera beatitudinem consequerentur.] Ita Vasquez. Ex quibus satis probata relinquitur hæc diuisio reprobationis; quæ in re negari vniuersim à nemine potest.

17 Est autem diuisio hæc analogi in analogata, non solum quod ad ens, & negationem entis nihil est commune vniuocum; sed etiam quia reprobatio negatiua à gloria, non est absoluta & simpliciter dicta reprobatio, sed tantum secundum quid; cum eà etiam supposita adhuc sit locus prædestinationi in posteriori instanti, vt dictum quæstion. 5. dub. 4. An verò idem dicendum sit de reprobatione negatiua à gratia congrua, dicitur dub. 4.

Ex quibus etiam facilè patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ. Aiunt, per reprobationem negatiuam tribui DEO agendi, seu potius non agendi modum imperfectiorem, quam qui diuinam deceat voluntatem, nimirum

vt circa tā multas creaturas hæreat suspensa vel otiosa: p̄sertim si nō in ipso statim illo signo indiuisibili asseratur Deus habuisse voluntatem positiuā, quā voluerit negationem, vt ex Scoto retulim⁹. Respondetur enim cum Vasquez loco citat. negando assumptum. [Neque vero, inquit, Vasquez, contra hoc est id, quod alibi diximus, DEVS ab æterno non se habuisse negatiuē circa ea, quæ in tempore non sunt futura, sed expressè voluisse ea non esse. Hoc enim non intelligitur de quouis signo & instanti rationis; sed de vno aut altero; ita vt nihil in tempore non futurum sit, quod non voluerit DEVS expressè non esse: & ita reprobos non consequi gloriam, Deus expressè ab æterno voluit, sed non in primo instanti, in quo nondū considerauit peccata, ob quæ solum voluit ipsos à regno celorum excludere. &c. Et sanè nisi ordo inter actus diuinos prorsus negetur, negari non potest, varia assignari posse instantia rationis, in quibus Deus circa hoc vel illud obiectū, secundum voluntatem efficacē, negatiuē se habuerit. Plura assertio sequent.

18

Assertio VI. Tametsi quidem, vt dictū, reprobatio negatiua formaliter nullū includat actū positiuū, concomitanter tamen, seu potius consequenter trahit secum actum diuinæ voluntatis quasi reflexum, quo eadem illa negatio positiuē volita est: qui actus tamen ratione posterior sit prædicta negatione, eumq; supponat, moraliter tamen computatur quasi vnum quiddā cum ipsa negatione; vtpote eam ipsam solū positiuē voluntariam reddens; neq; vllum alium peculiariē effectum habens circa reprobos diuersum ab ipsa negatione: idemq; moraliter est, non velle alicuius prælectionem ad gratiam, vel gloriam; & velle eam ipsam non prælectionē ad gratiam vel gloriam: quo fit etiam, vt in ordinatione ac serie variorum actuum diuinæ voluntatis, quos Deus habet respectu reproborum & prædestinatorum, non soleat in proprio & peculiari ordine collocari.

Prior pars est Scoti, cit. dist. 47. Suarez cit. c. 4. n. 5. & communis aliorum, quos retulimus. Ratio est. Quia ad maiorem quandam perfectionem agendi diuinæ voluntatis pertinet, tum vt negatio illa sit directæ ac positiuē voluntaria; tum vt voluntas diuina non habeat se merè negatiuē circa ea obiecta, quæ reipsa non facit, sed potius vt positiuē velit ea non fieri, vt ex Vasquio vniuersim retulimus.

19

Posteriorem partem declarauimus iam antea ex mente Scoti: à quo reipsa non differt Suarez loc. cit. licet absolute voluntatem illam negationis in eodem instanti cum negatione constituat: fit enim hoc ob dictam causam; licet alioqui illa voluntas quasi reflexa negationis, eā sit vtiq; secundum rationem posterior, vt ex Scoto vidim⁹. Siquidem etiam alia instantia, secundum quæ actus diuinæ mentis ordinantur, non ita omnia planè indiuisibilia sunt, quin subinde plures actus diuinæ mentis, quandam adhuc inter se subordinationem habentes, saltem tacitè comprehendant; qui tamen propterea seorsim & in diuersis instantibus non constituuntur, quia cum nullum

diuersum obiectum, aut effectum habeant, moraliter sub alijs comprehenduntur. V. G. siue dicatur Deus in primo instanti voluisse gloriam: in secundo gratiā & merita seu media prædestinati, vel è contrario; negari non potest, inter vtrumq; instans intercessisse scientiam visionis, circa turitionē effectus prius voliti; quando hæc imediatè subsequitur actū practicū diuinæ mentis, priusquam hæc ad aliud nouū obiectum terminetur. &c. Et idem de alijs actibus practicis dicendū.

Assertio VII. Verius est, ad reprobationē positiuā spectare non tantū perpetuā damnationem, seu exclusionē positiuā à gloria; sed etiā obdurationem presē sumptam; quā quis velut indignus ob peccata præcedentia positiuē reijcitur & excluditur à gratia congrua. Hanc assertionem, colligo ex mente Magistri, S. Thomæ, & Scoti; eiusq; asseclis superius relatis, qui formalem voluntatem puniendi, tendentem ac spectantem ad æternam damnationem reprobi, ad reprobationem positiuam spectare indicant, vtpote quā à negatiua reprobatione eō etiam in primis distinguunt, quod illius detur causa, huius nulla: ac verò decreti obdurationis, de qua loquimur, datur causa & ratio ex parte obdurati, nimirū peccata eiusdē præcedentia reprobationē, vt ex Magistro vidim⁹, & magis patebit dub. 3. Et sane reprobari lapis ab ædificante positiuē dicitur, nō solum qui reijcitur positiuē ab applicatione ad ædificium, sed etiam qui velut indignus aut ineptus reijcitur à politione & præparatiōe prætia ad ædificium. Idem in ciuilibus dignitatibus seu officijs accidit. Alia est negatio simplex gratiæ congruæ, seu à peccato præseruantis, seu à peccato primo liberantis, quæ nullam habet causam ex parte reprobi, vt dicitur. Atq; hæc proinde oppositio tanquam cōiunis, & menti Scoti ipsiq; nominibus accommodatior magis placet, quā illa Suarez lib. 5. c. 4. vbi ad reprobationem positiuā putat pertinere solum reiectionem & exclusionem à gloria: quā ratione dicendum foret, non solum reprobationem positiuam; sed ex parte etiam negatiuam habere causam ex parte reprobi, cuius ipse tamen oppositum ibidem tradit capit. quinto.

20

Assertio VIII. Reprobatio positiuā est actus iustitiæ diuinæ; reprobatio negatiua non item, sed occulti iudicij Dei & inscrutabilis providentiæ. Est communis Doctorum, quos pro assert. 5. citauim⁹, & sumitur ex Augustino lib. de corrept. & grat. c. 13. Ratio est. Quia ad reprobationē positiuā spectat illatio vindictæ seu pœnæ p̄ peccatis, quæ est actus iustitiæ vindicatiuæ in Deo: cum fiat ob demerita reprobi, reprobatio autē negatiua nō habet causam ex parte reprobi, sed fit p̄ arbitratu Dei nō iniusto quidē consilio, sed occulto vt dicitur dub. seq.

21

Assertio IX. Reprobatio positiuā prædestinationi opponitur contrariè; negatiua autem per se formaliter accepta contradictoriè. Colligitur in simili ex Vasquez disp. 95. cap. 5. n. 22. & Suarez lib. 5. de prædestinat. cap. 2. num. 4. & patet ex dictis. Quia vel prædestinatio declaratur per actum diuinæ voluntatis, quo DEVS ab æterno alijs quibus voluerit gratiam & gloriam, vel per actum

intelle-

intellectus, quo decreverit aliquibus conferre gratiam & gloriam, reprobatio positiva semper modo contrario circa eadem obiecta versatur; ut nimirum ex parte voluntatis sit hic actus Dei, Nolo hunc vel illum admittere ad gratiam congruam, vel gloriam; ex parte intellectus, Decerno & statuo, ut hic non admittatur ad gratiam congruam, vel gloriam. E contrario reprobatio negativa cum per se & formaliter sit solum negatio actus prælectionis seu prædestinationis diuinæ, tum ad gratiam, tum ad gloriam, non potest aliter prædestinationi opponi, quam contradictoriè.

22 Nec obstat, quod Molina hic quæst. 23. art. 3. docet, reprobationem directè opponi non prædestinationi, sed approbationi, qua quis dignus iudicatur gloria, cum proposito eam conferendi: ipse enim prædestinationis nomine solum intelligit destinationem seu præordinationem mediorum ad gloriam; nomine reprobationis autem solam reiectionem & exclusionem à gloria ob præuisam indignitatem & demerita: quæ ex dictis refutata manent.

Dubitari hic potest, an reprobatio negativa à gloria, in primo instanti facta, iuxta Scotum; uti & reprobatio negativa à prima gratia congrua electorum propria in secundo instanti facta, contineat absolutam reiectionem siue à gloria, siue à gratia; ita ut in sensu composito, impossibile sit, ita reprobatum in aliquo posteriori instanti prædestinari vel ad gloriam, vel gratiam congruam.

23 Respondeo, suppositis ijs, quæ supra quæst. 5. dub. 4. assertio. 4. docuimus, quod ad gloriam quidem attingit, reprobationem negativam à gloria, in primo instanti factam, nec formaliter, nec virtualiter esse aut continere absolutam reiectionem à gloria; quia non obstante ea reprobatione negativa, Deus posset reprobum prædestinare tum ad gratiam congruam in secundo instanti: tum etiam supposita in tertio instanti præscientia perseverantia finalis, ad gloriam, in quarto instanti, ut præter Suarez lib. 1. de prædestinat. capit. 12. numero 16. aperte tradunt Marfilus, in 1. quæst. 41. articulo 2. & ex mente Scoti, cum Lychero, Bargius in 1. distinct. 41. quæst. vn. ubi ait: *Dices, utrum Deus posset in tertio signo prædestinare Iudam, supposito hoc, quod in primo & secundo signo nihil circa eum voluerit, Respondet hic Lycherus, quod sic; & rationem ego talem assigno; quia in primo & secundo signo tantum se habuit negativè, & ideo nihil postremum est repugnans prædestinationi. Sed utrum posset ipsum prædestinare in quarto signo, in quo Iudas offertur ut finaliter impenitens? Dico, quod post id, quod habetur in quarto signo, non potest prædestinare ipsum, regulariter loquendo, propter repugnantiam: sed habito tertio signo, potest ipsum prædestinare in quarto, faciens prædestinationem loco eius, quo Iudas offerebatur, ut finaliter impenitens. Sic debet solvi hoc dubium, quoniam Lycherus non sufficienter solvit. Ita Bargius; ex quo etiam sumitur ratio.*

24 Accedit, quod et si de facto Deus neminem prædestinat ex præiudicatis meritis, in signo scilicet aliquo posteriori, posset tamen absolute ita prædestinare,

etiam in sensu composito; ut dictum est. q. 3. dub. 4. assert. 4. loquendo nimirum præcisè de ipso per se ordine & processu prædestinationis, & abstrahendo à revelatione, ex qua colligimus, Deum ita neminem prædestinare; cum qua quidem cõponi seu coniungi oppositum impossibile est, sed impossibilitate solum consequente, non antecedente; cum revelatio non antecedit, sed sequatur, & supponat existentia seu futuritionem rei; ex qua fit, ut oppositum in sensu composito cum revelatione stare non possit. Ex quibus efficitur, ipsam in se reiectionem absolutam à gloria, etiam iuxta Scoti sententiam, solum fieri in quarto signo ex præiudicatis meritis; licet virtualiter dici possit in secundo signo, quando quis à gratia congrua absolute reijcitur, ut dictum.

25 Sed loquendo de reprobatione negativa à gratia congrua, in secundo signo, iuxta Scotum, facta, an eius ratione homo in eodem signo censendus sit absolute reiectus à gratia congrua, dubium videtur. Nam Bargius quidem loco citato hoc ipso, quod docet, post reprobationem negativam, non solum in primo signo, sed etiam in secundo signo factam, posse nihilominus (etiam in sensu videlicet composito) hominem à Deo prædestinari, planè sentit, etiam supposita reprobatione illa negativa à gratia, in secundo signo facta, hominem non esse absolute reiectum à gratia congrua. Et addi potest ratio. Primo quia etiam in secundo illo signo Deus solum se habuit negativè; & ideo nihil positum est repugnans prædestinationi ad gratiam congruam, in signo aliquo subsequenti. Quod si dicas, Deum in eodem secundo signo, simul voluit eam ipsam negationem; nec id quicquam obstat: quia hæc voluntas non magis repugnat prædestinationi ad gratiam congruam in signo aliquo posteriori, quam ipsa per se negatio: cum hæc sibi minime aduersentur; Volo non eligere ad gratiam congruam in hoc primo signo; & Volo eligere ad gratiam congruam in signo aliquo posteriori. Secundo reprobatio negativa à gratia congrua iuxta Scotum facta in secundo signo, præcedit permissionem peccati, ut nos etiam dicemus dub. 8. Est igitur ante permissionem peccati talis homo non sit destinatus ad gratiam congruam; quid obstat tamen, quo minus in signo aliquo subsequente permissionem peccati destinetur ad gratiam congruam, qua & à peccato liberetur, & perseverans in gratia decedat?

26 Nihilominus tamen verius existimo, in eo ipso signo, quo quis quomodolibet reprobatus est à gratia congrua, siue sit secundum illud signum Scoti, siue aliquod aliud, iuxta varias hæc de re Doctorum sententias, referendas dubit. 6. & 10. simpliciter & absolute reiectum esse ab eadem gratia congrua; quod sentiunt etiam Suarez lib. 3. c. 5. & Vasquez d. 91. c. 2. & d. 95. c. 9. & videtur communis sententia Doctorum, præsertim omnium eorum, qui reiecta simpliciter reprobatione negativa, non agnoscunt aliquam reiectionem à gratia congrua, nisi quæ simpliciter & absolute talis sit; præsertim cum inter omnes certum esse debeat, absolutam reiectionem à prima gratia congrua, in quocunque

signo fiat, nullam habere causam ex parte reprobis, adeoque fieri ante omnem prævisionem peccatorum seu demeritorum, ut dicitur dub. 3.

Vnde etiam sumitur ratio. Quia cum reprobatio absoluta à gratia congrua non fiat ob aliquam causam datam ex parte reprobis; nec verò etiā prædestinatio ad eandem gratiam congruam habeat, aut habere possit causam ex parte reprobis, ut dicitur q. 4. dub. 5. fieri non potest, ut Deus expectet posterius instans, in quo paratus sit dare gratiam congruam, si se homo ad illam disponat, sicut de gloria diximus; proinde etiam nulla est causa, cur Deus nō in eo ipso instanti, in quo salvandos gratis destinat ad gratiam congruam, alios quos præterit, non absolute simul etiam rejiciat à prima gratia congrua.

27

Accedit, quod in eo ipso instanti, in quo Deus iuxta Scotum negativè aliquos reprobat à gratia congrua, Deus non tantum habet voluntatē eos non præligendi ad gratiam congruam, sed simul etiam habet voluntatem siue decretum conferendi iisdem eam solum gratiam, quam incongruam futuram esse antea per scientiam mediam cognoverat; quandoquidem in eo ipso signo, quo electis gratia fuit decreta, etiam non electis utique, sua gratia decreta fuit, quæ non est alia, quam incongrua; neque enim hos omnino suæ gratiæ expertes esse voluit, ut patet; neque assignari potest vllum signum, in quo convenientius sua illa gratia reprobis fuerit decreta, quàm illud, in quo sua electis gratia fuit decreta; cum utraque gratia pari proportionem se habeat ad finem, & ad ipsum subiectum cui confertur. Supposito vero decreto reprobis conferendi gratiam solum incongruam, seu quam Deus incongruam futuram novit, impossibile est, in sensu composito, utinam in vllō posteriori instanti iisdem decernatur gratia congrua; quandoquidem tale decretum repugnaret priori; quod in hoc consistit, quod Deus præsciens scientia media, hunc vel illum hominem, si tali gratia præveniretur, infallibiliter decessurum in peccato mortali; nihilominus ei eam ipsam, non aliam gratiam decrevit: Ergo impossibile est in sensu composito, ut Deus post illud signum talem prædestinet ad gratiam congruam; ac proinde iam in eo ipso signo priori, quo negativè reprobatus est à gratia congrua, etiam absolute & simpliciter ab eadem reiectus est. Vnde patet responsio ad argumenta proposita.

28

Ex quibus omnibus denique, quod ad distinctionem illam duplicis reprobationis, & præsertim Scoti ea de re sententiam pertinet, contra nonnullos aliter differentes, colliguntur ista. I. Distinctionem illam duplicis reprobationis non fuisse recens à Scoto, eiusve asseclis excogitatam. II. eā doctrinam, quam tradiderat Scotus in r. d. 41. non displicuisse postea Scoto in r. d. 47. cum eam ibidem non solum nullo verbo improbarit, sed etiam probavit & illustravit. III. friuolum esse; quod contra doctrinam Scoti posteriori loco traditam obijcitur; cum voluntas illa positiva negationis dicatur reflexa, ideo supponere directam negativam, (puta, Nolo his non electis gloriam;) quæ tamen divinæ perfectioni repugnat: cum tamen

Scotus ipse, omnesque eius sententiæ sectatores aperte doceant, eam voluntatem non esse reflexā super actum positivum, quem Scotus in illo instanti, à Deo expresse remouet, ut vidimus: sed super negationem actus positivi: qua de causa etiam Scotus & alij frequenter vocant eam voluntatem quasi reflexam: eò quod non reflectatur super alium actum priorem, sed super negationem actus. IV. friuole item obijci, voluntatem illam quasi reflexam, in primo instanti haberi non posse; eò quod sicut illam tanquam suum obiectum natura prius supponit, ita posterius ac peculiare instans constituat: cum ipsemet Scotus cit. dist. 47. eam negatione illa posteriorem faciat: etsi nihilominus moraliter, ut dictum, quasi vnum quiddam eū ipsa negatione computetur. Quæ falsum autem sit, prædictā negationē, aut voluntatē positivam negationis, in primo instanti positam, *aquipollere ferè tali divinæ voluntati proposito, solo antecedente meæ voluntate pleròq. hominum, non prævisi vllius peccati, non admittere ad gloriam, astanti Caluinistarum decreto, patebit dubit. 5.*

DUBIUM II.

Quinā sint effectus reprobationis.

S. Thom. 2. 2. p. q. 23. a. 3.

Tria sunt, quæ in quæstionem venire possunt, nimirum, peccatum, poena peccati, & permissio peccati; & controuersia ferè omnis est de permissione peccati; de qua variè loquitur Theologus: quidam enim omnem permissionem peccati ipsius reprobis, docet esse effectum reprobationis; quos citabimus asserere. 6. alij excipiunt permissionem primi peccati: alij excipiunt peccata, quæ reprobo in hac vita remissa sunt: alij saltem negant permissionem vllam peccati esse effectum reprobationis positivam. Quod speciatim etiam sentit Suarez hic lib. 5. cap. 7. num. 9. ubi docet, reprobationis quidem positivæ effectum non esse permissionem peccati, nec vllum omnino aliū effectum huius vitæ; nisi talis dicatur ipsa huius vitæ reprobis privatio, ad æternam punitionem quasi inchoandam, peculiariter à Deo iustitia: sed omnem eius effectum incipere in exordio futura vitæ, statim ac homo incipit puniri. Reprobationis autem negativæ effectum asserit esse peccati permissionem, non omnem quidem, utpote non peccati etiam originalis, aut quod in hac vita sit remissum; sed eam, quæ sit propria & specialis reprobis; peccati nimirum alicuius personalis, ob quod reuera reprobis damnabitur. Rationem adfert, tum quia putat reprobationem positivam incipere à præscientia finalis peccati. Tum quia putat effectum omnem reprobationis positivæ procedere debere ex efficaci intentione damnandi hominem; sicut prædestinationis effectus procedit ex efficaci intentione conferendi vitam æternam: at vero permissio peccati non procedit ex decreto efficaci damnationis, cū hoc potius supponat peccatum, adeoque & permissionem peccati, &c. Nos autem rem omnem his asseritionibus declaramus.

Assertio

2 Assertio I. Peccatum ipsum nullo modo est effectus reprobationis. Ita Theologi omnes cum Magistro in 1. dist. 40. & S. Thoma 1. p. quæst. 23. a. 3. Ratio est manifesta Quia reprobatio, uti & prædestinatio, est actus quidam quasi immanens ipsius Dei: Ergo nihil potest esse effectus reprobationis, quod non sit effectus ipsius Dei: at vero impossibile est, ut peccatum sit effectus Dei: Deus enim non est author vel causa peccati, nec vult peccatum, ut suo loco superius dictum disput. 2. quæst. 10. dub. 4. & 7. Ergo etiam impossibile est, ut peccatum sit effectus reprobationis: quicquid interim de illa controuersia dicendum sit, an peccatum vnum possit esse poena alterius peccati; nam hoc etiam admissum, negandum est, Deum esse causam huius poenæ; satis est esse permissionem peccati, poenam peccati alterius esse dicendam, de qua re suo loco.

3 Assertio II. Impia proinde & blasphema est doctrina Sectariorum, quando de effectibus reprobationis loquentes, docent, Deum mouere corda reprobatorum ad peccata; aut ita ex se intendere bonum iustitiæ vindictivæ, ut procuret ipsa opera mala, quæ puniat, veluti materiam iustitiæ. Hæc assertio primum est contra Calvinum lib. 1. Instit. c. 18. sect. 2. & l. 3. c. 23. §. 7. contra Zvinglium tom. 1. serm. de prouidentia Dei, qui docent, Deum mouere & inclinare ac necessitare quodammodo corda impiorum ac reprobatorum ad peccata: quod etiam docuit Lutherus quondam in assertione articulo 36. & lib. de seruo arbitrio. Est etiam contra Melancthonem in caput octauum Rom. quando olim scripsit, *DEI proprium opus esse iudæ proditorem; sicut est Pauli vocatio: quæ omnia Scripturæ aperte repugnant; psalm. 5. v. 4. Non Deus volens iniquitatem tu es. Sap. 14. v. 9. Similiter odio sunt Deo impius & impietas eius. Eccli. 15. v. 12. Non dicas, ille me implanauit: non enim necessarij sunt ei homines impij. Iacobi 1. v. 13. Nemo cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.*

His accedunt antiqui Patres, quos retulimus supra disp. 2. q. 10. dub. 7. Potenter inter alios Eusebius lib. 6. de præparat. Euang. ubi ait: *Impius profecto iudicabitur, imò vero pessimus omnium, qui à creatore conuersus, alios ad adulteria, alios ad rapinas, alios ad alia vitia impellit arbitretur. Et rationem adiungens: Quare, inquit, non iure homo, sed creator eius peccator erit: quo dogmate nihil scelestius cogitari potest.*

4 Ratio verò hæc optima est; tum quia hæc ratione peccator Dei voluntati obsequetur; faciet enim quod Deus eum efficaciter vult facere, qui autem facit, quod Deus eum vult facere, non peccat. Tum quia hac ratione solus Deus ex se liberè actus malos perpetrabit; Ergo ipse solus peccabit, non homo; quia peccatum adeo liberè voluntarium est, ut si hoc modo voluntarium non sit, peccatum non sit, ut suo loco pluribus docetur. Quare etiam prædictus error in Concilio Tridentino sess. 6. can. 6. iure damnatus est his verbis: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere; sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissiue solum, sed etiam*

proprie & per se, adeo ut sit proprium eius opus, non minus proditio iudæ, quam vocatio Pauli, anathema sit. Plura in 1. 2.

5 Assertio III. Æterna tamè poena peccati, seu ipsa damnatio & perditio æterna, est effectus reprobationis. Ita cum Magistro sent. cit. d. 4. & S. Thoma hic cita. 3. Theologi omnes. Ratio patet. Quia hæc ipsa directè & efficaciter à Deo decernitur per reprobationem sicut etiam directè per ipsum infligitur ea voce iubentis Christi & iudicis, *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Matth. 25. v. 41. Vbi tamen peccata damnandorum à poenis eorundem distinguenda sunt: illa enim, ut diximus, Deus non vult, nec imponit aut infligit. Sed & circa damnationem æternam vitanda æquiocatio: Damnatio enim actiua in Deo, prout dicit ipsam internam Dei sententiam & decretum damnans & addicens reprobos æternæ poenæ non est proprie effectus, sed ipse potius actus reprobationis: damnatio verò passiuè accepta, prout significat ipsam perditionem & interitum sempiternum impiorum, effectus est reprobationis.

6 Assertio IV. Sed & poenæ temporales reprobatorum (exceptis peccatis, de quibus dictum) quæ ipsi sunt causa seu occasio æternæ damnationis, videntur esse effectus reprobationis. Hanc assertionem etsi non ita quidem expresse tradant Doctores, est tamen ex mente eorundem; quando, ut videbimus, indurationem & excecationem, itè mortis temporalis inflictionem, in statu peccati, inter effectus reprobationis connumerant; eadè enim est ratio aliarum eiusmodi poenarum, quæ ipsi reprobato causa vel occasio sunt æternæ damnationis. Ratio est. Quia sicut effectus prædestinationis est, quicquid prædestinatum efficaciter & speciali quasi influxu promouet ad beatitudinè, ita è contrario effectus reprobationis esse videtur, quicquid malorum Deus reprobato infligit, ad eius damnationem pertinens & conducens. Exemplum habemus in Pharaone & Ægyptijs, quorum poenæ etià temporales ad maiorem eorundè damnationem cesserunt.

7 Dices primo; hæc ratione concludi posse, etiam dona gratiæ reprobis concessa, quibus ipsi ad suam damnationem abutuntur, esse effectus reprobationis eorundem. Respondeo negando sequentem: quia dona gratiæ intrinsecè ac ex sua natura sunt adminicula salutis; quæ proinde etiam à Deo non conferuntur, nisi ex intentione seu voluntate salutis; at verò poenæ temporales, cum ex sua natura indifferenter se habeant ad bonum & malum vsum, sæpe à Deo etiam ex intentione vindictæ inferuntur, ut peccati punitionem in hac vita incipiant, & æternæ quasi præludant.

Dices secundo; Ergo saltem bona temporalia, puta abundantia diuitiarum, honorum, & voluptatum, etsi per se non vitæ copia, &c. cenferi poterunt inter effectus reprobationis. Respondeo nihil id videri absurdum; si considerentur, quatenus aut sunt occasio, seu materia permissionis peccati; non quod Deus ea velit vnquam hac intentione, ut homo peccet, sed quia vult ea homini obuenire, cum tamè sciat fore occasionem & materiam peccandi. Quæ de causa etiam hæc à Theologis subintelligi videntur sub ipsa permissione peccati:

quandoquidem reuera Deus ea tribuendo, non vult aut causat, sed solum permittit peccatum, vt inferius dicitur.

8 **A**ssertio V. Sed & permissio quædam peccati mortalis in reprobo est effectus quidam reprobationis eiusdem. Ita disertè S. Thomas hic q. 23. a. 3. & consentiunt Theologi omnes cum Magistro in 1. distinct. 40. etsi nonnihil dubiè hac de re locutus videatur Molina hic quæst. 23. a. 3. vbi ait: [Voluntas Dei æterna permittendi peccata, propter quæ peccator reprobatus est, si propriè loquamur, neque appellanda est reprobatio, neque quasi pars illius, sed solum conditio requisita, vt sit reprobatio: nec forte aliud voluit S. Thomas. Idem dicendum est de æterna Dei voluntate, qua reprobum vsq; ad finem vitæ obdurare statuit.] Certè si voluntas Dei permittendi peccata non est pars, adeoque nec actus reprobationis, non facile apparet, quomodo permissio peccati possit esse effectus reprobationis. Quare mox ibidem quasi dubius subiungit Molina: [An vero permissio peccati appellanda sit effectus reprobationis, merito dubitari potest. Et sane videtur posse id aliquo modo concedi. Quoniam cum pars integri finis, ob quem est à Deo volita, sit, vt detur iusta impiorum damnatio & reprobatio, eaq; ratione in illis splendeat in æternum diuina iustitia, non secus ac in prædestinatis misericordia, sit, vt permissio peccati reprobi sit in genere causæ finalis effectus damnationis ac reprobationis.]

Sed hæc Molina dubitatio solum videtur procedere de effectu in genere causæ finalis; de quo hic non disputamus, sed potius de effectu in genere causæ efficientis; aut quasi efficientis, prout negatio causæ efficientis dicitur causa negationis effectus eiusdem efficientis: vt absentia solis, tenebrarum. Quare idem Molina inferius ead. q. 23. a. 4. & 5. disp. 3. ita affirmat docet: [Sciendū est, inquit, circa vnumquemq; reprobatorum aduultum, triplicem actum voluntatis diuinæ, nostro intelligendi more esse distinguendum. Primus est, voluntas permittendi ea peccata, propter quæ ille excludendus est à beatitudine, supplicijque æternis mancipandus. Quem actum tanquam effectus sequitur ipsa permissio eorundem peccatorum in actu. Secundus est voluntas obdurandi peccatorem vsque ad finem vitæ, in eisdem peccatis iam commissis, hoc est, voluntas non conferendi illi ea auxilia, cum quibus resurgeret. Hunc autem consequitur similiter in tempore, tanquam effectus illius obduratio ipsa. Tertius est voluntas excludendi eundem reprobum à regno cælesti, tanquam eo indignum, deputandique illum supplicij æternis, propter peccata, in quibus ad vitæ terminum prævidetur peruenturus. Quem actum consequitur in tempore, tanquam effectus illius, exclusio ipsa à regno cælesti, mancipatioq; supplicij æternis, quando hæc fiunt.] Ita Molina. Ratio assertionis tum ex dictis sumitur, quia voluntas permittendi eiusmodi peccata est actus diuinæ reprobationis: tum quia illa DE I permissio est effectus quidam Dei, per se ac ex sua natura tendens ad æternam damnationem reprobi. An autem omnis eiusmodi per-

missio sit effectus reprobationis, mox dicitur.

9 **A**ssertio VI. Omnis peccati, cum quo reprobatus ex hac vita decedit, permissio, est aliquo modo effectus reprobationis. Ita sententia videtur Magister in 1. dist. 4. lit. A. vbi vniuersim pronuntiat, gratia privationem sine subtractionem esse quodammodo reprobationis effectum. Idem significat Sanctus Thomas hic quæst. 23. articulo 3. vbi absolute ait, sicut prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam; ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis penam pro culpa. Et ibidem ad 2. generatim ait: *Reprobatio est causa derelictionis à Deo.* Quid autem est derelictio hæc, quam permissio peccati finalis? Eiusdem sententiæ videtur esse Durandus in 1. dist. 41. q. 2. Ariminensis q. 1. art. 1. Marsilius q. 41. a. 1. Driedo in Concord. part. 1. q. 3. Gregorius de Valentia hic q. 23. pun. 3. & vt apparet Vasquez d. 95. cap. 9. num. 49. vbi disertè docet, primam permissioem cadendi in peccatum, esse effectum reprobationis, non quidem à gloria, sed à gratia; tamen contrarium cum nonnullis sentiat Suarez supra citatus.

10 **R**atio assertionis est, quia omne peccatum reprobi, cum quo ex hac vita decedit, est aliquo modo causa æternæ damnationis, seu penæ ipsius reprobi; etsi diuersimodè, vt mox explicabitur. Ergo cum æterna pena reprobi sit vtique effectus reprobationis, ipsa etiã permissio peccati finalis cuiuslibet in reprobo erit effectus reprobationis. Consequenter probatur. Quia permissio peccati in reprobo ideo dicitur esse effectus reprobationis eiusdem, quia peccatum quidem ipsum per se, permissio autè peccati saltè per accidens est causa damnationis seu penæ æternæ in reprobo.

11 **A**ssertio VII. Est tamen inter peccatorum, cum quibus reprobatus decedit, permissioem, quatenus est effectus reprobationis, duplex discrimen; primò enim permissio prima peccati solū est effectus reprobationis negatiuæ: obduratio vero in peccato iam perpetrato, etiã positiuæ; secundo quorundam peccatorum permissio solū per accidens est effectus reprobationis; aliorum vero etiã per se. Priorem partem huius assertionis rectè tradit Gregorius de Valentia loc. citat. ex quo distinguenda est duplex permissio peccati, vna quæ præcedit quoduis peccatum reprobi, ac nihil aliud est, quam nuda negatio gratiæ efficacis, retrahentis seu præseruantis à primo peccato reprobi; supposito seu concomitante simul actuali concursu positiuo ad materiale peccati, velut effectum communis prouidentia; & hæc non potest esse effectus reprobationis nisi negatiuæ; vt bene etiam docent Molina quæst. 23. a. 4. & 5. d. 3. & Suarez loc. cit. cap. 7. num. 9. & 12. Ratio est. Tum quia reprobatio positiuæ pertinet ad vindictam iustitiam Dei; hæc autem permissio non inferitur per modum vindictæ à Deo; cum nullum aliud supponat peccatum in reprobo. Tum quia reprobationis positiuæ datur causa in Deo; huius autem permissioem non item, vt dicitur dubio seq. Denique huius permissioem causa in Deo, per se non est actus positiuus, sed solum simplex negatio actus miserendi, qua videlicet Deus, sine

alia.

alia causa data à reprobato, negatiuè se habuit circa destinationem gratiæ congruæ, quæ hominem à peccato efficaciter retraheret: quæ sanè dispositio diuinæ voluntatis non est positua reprobatio, sed solum negatiua; ex dictis quæst. præced.

12 Alia permissio peccati est, quæ subsequitur peccatum aliquod præcedens, ex peculiari ac iusto decreto Dei, quo videlicet Deus aliquem in pœnam peccati præcedentis deserit, & velut indignum reijcit à gratia efficaci, deletura peccatum præteritum; quo fit, vt homo in peccato denique moriatur, iuxta illud Ecclæ. 7. v. 14. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* Quæ permissio etiam in Scriptura à SS. Patribus vocatur *induratio & excæcatio*, iuxta illud Apostoli Rom. 9. v. 18. *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Quo etiam sensu Deus dicitur esse causa indurationis, non quidem impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam congruam: nonnunquam (quæ pena grauissima est) permittendo etiam tentationes & occasiones grauiores peccati, iuxta illud Psal. 80. v. 13. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in aduersionibus suis, vt bene Molina q. 23. a. 4. & 5. disp. 3. licet alias obduratio etiam accipiatur pro ipso peccato, quo refistitur aut cuius vocationi Dei, aut quo Deo vocanti diu multumque repugnatur, iuxta illud Rom. 2. v. 4. *An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contempsit ignoras, quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit?* Quo sensu iuxta Concil. Trident. sess. 6. can. 8. *Deus nullo modo est obdurationis author siue causa, vt rectè Vasquez disp. 95. capite decimo, & pluribus alibi explicandum est.**

13 Hanc ergo permissionem secundi generis, quam etiam obdurationem vocari diximus, censeo rectè etiam dici effectum reprobationis posituæ; quo nomine proinde, vt dictum dub. præced. non intelligi tantum debet decretum de damnando homine, & afficiendo pœna inferni, sed etiam de reijciendo velut indigno, à gratia illa congrua; cum interim reprobatio negatiua, formaliter sit solum negatio actus; concomitanter aut consequenter sola simplex voluntas non præcligendi hominem ad gratiam congruam vel gloriam. Atque hæc ipsa etiam permissio peccati, est obduratio illa, cuius in assertionem memini. Nec probatur, quod notauit Molina cit. disp. 3. licet obduratio in peccato commissio semper esse possit in pœnam antecedentis delicti; non tamen semper ita euenire. Quoniam cum auxilia gratiæ merè gratis à Deo conferantur, poterit Deus conferre peccatoribus pauciora auxilia vno tempore, quam alio, & pauciora ijs, qui minus, quam ijs, qui magis peccauerant, non habita ratione, vt id propriè & directè fiat in pœnam præcedentium delictorum, sed pro sua voluntatis beneplacito. Et addit Molina, cum aliquo casu, non ex singulari dispositione Dei, peccator statim ac peccauit, è vita discedit, non dici indurare. Sed verius videtur, omnem indurationem esse in pœnam peccati: cum sit proprium etiam demeritum peccati, indignum esse omni gratia: etsi Deus interim pro suo beneplacito, pœnam eiusmodi ma-

iori peccatori sæpe remittat, à minori exigat; iuxta citatum illud, *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, vt à fortiori sentiunt Doctores citandi dub. seq. pro secunda sententia.

14 Indicar hanc assertionem partem Magister in 1, dist. 41. quando obdurationem perinde reprobationis effectum constituit, sicut prædestinationis gratiam; cum ait: *Accipitur aliquando reprobatio pro obduratione, sicut & prædestinatio pro suo effectu, qui est gratia appposita.* Nec refert, quod ibidem verbis antecedentibus ait, obdurationem esse quodammodo reprobationis effectum; quia hoc ideo solum dixisse videtur, quod obduratio, cum propriè sit solum negatio, non sit proprius & positius ac realis effectus prædestinationis.

Idem significat S. Thomas, cit. art. 3. dum inter effectus reprobationis absolutè etiam constituit *derelictionem* à Deo; nimirum eam saltem, quæ per excellentiam talis est, iuxta citatum locum, Ecclæ. 7. Ratio colligitur ex dictis. Tum quia posituè reijcitur, qui ob demerita sua velut indignus reijcitur & repellitur ab aliqua dignitate. Tum quia hæc permissio peccati est effectus vindictiue iustitiæ, habetque causam ex parte reprobati, vt ibidem docet Magister, & dicitur dubio sequenti.

15 Idem colligitur ex Scriptura Rom. 1. versu 26. *Propterea tradidit illos Deus in passionem ignominie.* Et v. 28. *Sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt.* Et Rom. 9. v. 23. *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Certè tradere in reprobum sensum, item ex zelo iustitiæ sustinere vasa iræ, subtrahendo & denegando velut indignis gratiam congruam, non est solum negatiuè se habere; sed posituè, quamuis ad pœnam solum negatiuam damnare.

16 Quæres, an prima peccati permissio solum ad originale; posterior autem peccati permissio solum, & ad omne personale peccatum reprobati, cum quo ex hac vita decedit, pertineat. Respondeo negatiuè. Fieri enim potest, vt deletio peccati originali, reprobis in nouum peccatum labatur; quo casu permissio hæc, cum non in pœnam præcedentis peccati infligatur, prima dicenda erit: quod similiter etiam sentiendum est, si post primum, item secundum, tertium mortale commissum & remissum, &c. reprobis denuo in nouum peccatum mortale corruat; semper enim talis permissio prima est saltem negatiuè, quia nulla præcessit alia permissio peccati, in cuius pœnam directè infligatur posterior permissio; quandoquidem supponimus, præcedentia peccata plene remissa. E contrario fieri potest, vt posterior peccati permissio ad ipsum etiam originale, vel primum peccatum personale pertineat; hoc sensu, non quod permissio ipsa id peccatum primò contrahendi, permissio sit posterior, sed quod permissio permanendi in eodem peccato, per subtractionem gratiæ à peccato conuertentis, verè sit permissio peccati secunda, supponens

priorem, & ab ea dependens, qua idipsum peccatum primo permissum est, vt ex dictis colligitur.

17 Secunda pars, quorundam peccatorum permissionem solum per accidens esse effectum reprobationis, aliorum non item, ita probatur. Quia vniuscuiusque peccati permissio eatenus est effectus reprobationis, quatenus peccati ipsum est causa damnationis seu poenæ æternæ: sed sunt quædam peccata, puta venialia, cum quibus decedit reprobis, quæ solum per accidens puniuntur. poenæ æternæ in reprobo: Ergo permissio horum peccatorum solum per accidens est effectus reprobationis; non per se, vt sunt peccata mortalia reprobi nondum remissa.

Assertio VIII. Permissio peccatorum reprobi, quæ ante finem vitæ ei sunt remissa, siue mortalia sint, siue venialia, non est effectus reprobationis: nisi quatenus ea peccata, in suo quodam effectu permanentia, simul cum alijs causa sunt aliquo modo æternæ poenæ seu damnationis reprobi. Ita habet consensu Doctorum sententia. Probatur & declaratur. Quia hæc peccata vt secundum se sunt deleta, ita etiam secundum se non sunt causa æternæ damnationis seu poenæ in reprobo: Ergo nec permissio eorundem peccatorum secundum se est effectus reprobationis. Quo sensu etiam Suarez & alij quidam absolute & simpliciter negant, eorum peccatorum, quæ semel remissa sunt, permissionem, esse effectum reprobationis: quia res talis esse vel non esse censetur, penes id, quod ipsa non secundum quendam solum effectum suum, sed secundum se est. Nihilominus tamen quia hæc ipsa etiam peccata saltem personalia, & quidem etiam venialia deliberata, quamuis remissa, augent grauitatem subsequenti, atque ita etiam in suo quodam effectu ingratiitudinis redire dicuntur, vt in 3. parte docetur, ideo etiam ipsorum permissio aliquo modo, & cum addito, rectè dici potest effectus reprobationis: quandoquidem reuera aliquis gradus poenæ æternæ in reprobis ipsis aliqua ratione imputandus venit. Quod tamen de peccato originali remisso, aut etiam venialibus ex indeliberatione commissis & remissis, dici non potest, vt ibidem suo loco docetur.

18 Eadem ratione, quia posterius peccatum mortale reprobi ad finem vitæ perseuerans, prioris peccati mortalis poenam æternam in temporalem mutatam, seu etiam ipsius peccati venialis poenam temporalem, sæpe post remissam culpam superstitem, per accidens rursus æternat, vt ibidem docetur, ideo etiam ea ipsa peccata in suo quodam effectu, qui est reatus poenæ temporalis, causæ quædam sunt certi cuiusdam gradus poenæ æternæ ipsius reprobi: ac proinde etiam eorundem peccatorum permissio rectè dicitur aliquo modo, & cum addito, in suo quodam effectu esse effectus reprobationis. Accedit quod peccatum remissum etiam ratione aliorum suorum malorum effectuum, vt inclinationis ad peccandum, prauæ consuetudinis, infectiōis & corruptionis naturæ &c. solet esse causa aliorum peccatorum; vt proinde etiam hac ratione dici possint, ratione sui cuiusdam effectus, reprobationis effectus, vt mox dicitur.

19 Assertio IX. Sed & permissio peccati primi parentis, in quo omnes posterius peccauerunt, est quodammodo effectus reprobationis negatiuæ singulorum hominum reprobatorum. Colligitur ex Doctoribus pro sexta assertione citatis, dum indefinite aut absolute permissionem peccatorum, ipsius reprobi, ob quæ damnatur, reprobationis effectum constituunt. Ratio est. Quia omnis peccati permissio est aliquo modo effectus reprobationis, ob quod peccatum reprobis ipse æternum damnatur: sed tale peccatum est illud, de quo loquimur: primo quidem, quia omnes illi, qui cum originali peccato decesserunt non solum damnantur ob ipsum peccatum originale ex Adamo contractum, sed mediatè etiam ob peccatum primi parentis, in quo omnes peccauerunt, iuxta vulgatum illud, Quod est causa causæ, est etiam causa causati. Deinde quamuis peccatum illud primi parentis, vt & ipsum originale, aliquibus reprobis sit remissum, manebat tamen vtrumque; nihilominus in suis quibusdam prauis effectibus, vt est fomes concupiscentiæ; item priuatio iustitiæ originalis, & totius naturæ infectio; ex quibus denique effectibus secuta sunt alia peccata personalia in reprobis; ob quæ illi immediate damnantur. Potest ergo peccatum illud saltem secundum suum quendam effectum, etiam in his, quibus alioqui secundum se, & quoad reatum æternæ poenæ remissum est, dici effectus reprobationis eorum, qui eius causa pereunt; vt antea in simili de peccatis remissis diximus.

20 Assertio X. Ad permissionem peccati, quam diximus esse effectum prædestinationis, pertinent etiam occasiones propinquæ ad peccatum, ob quod reprobis damnatur; & in primis etiam ipsa mors, seu mortis inflictiō erga reprobum, dum habet peccatum mortale. Prior pars colligitur ex dictis, & indicatur à Sancto Thoma hic quæstion. 23. articulo. 3. vbi vniuersim docet, ad reprobationem pertinere, quod Deus permittat aliquos à fine ultimo desicere: item reprobationem esse partem prouidentie, respectu illorum, qui ab hoc fine decidunt. Ratio est, quia tametsi Deus immittat occasiones peccandi ea mente, vt homo peccet; eo ipso tamen quia tales occasiones non prohibet, cum posset prohibere; subinde etiam, quia in poenam peccati sinit, aut (si quidem per se mala non sint) procurat reprobis ea, ex quibus præuidet eos fore deteriores; censetur eo ipso etiam permittere peccatum, vt explalmo 80. dictum assert. 7.

21 In quem sensum etiam accipiendum est illud, quod apud Augustinum legitur lib. de gratia & libero arbitrio capite vigesimo: voluntatem (Deus) proprio vitio malam, in hoc peccatum iusto suo iudicio inclinauit. Et ibidem capite vigesimo primo: Operatur Deus in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala, pro meritis eorum; de qua re plura Suarez opusc. de auxili. grat. lib. 2. c. 3. n. 9. & 10. post Hugonem Victorinum lib. 1. de Sacram. p. 5. capite. 29. Vide etiam Augustinum in illud

Pfal. 91. *Nimis profunda facta sunt cogitationes tuae, & in illud Psal. 93. usquequo peccatores gloriabuntur.* Rectè idem Augustinus epist. 5. ad Marcellum. *Nihil est infelicius felicitate peccantium.* Tales occasiones erant diuitiarum & voluptatum copia in diuite epulone; de qua Chrysostronus homil. 8. ex varijs in Lucam, quæ est 3. de Lazaro. Plura hac de re agimus tomo 2. disputatione quarta, dubio 4. & 6.

Secundam partem apertè tradit Suarez hic loco citato, libro 5. capite 7. numero 9. Quia mors illa tamen non sit occasio vel causa noui peccati, est tamen occasio seu conditio perseuerantiæ in peccato mortali commissio; ob quam reprobis damnatur.

22 **Assertio XI.** Ex recentis reprobationis effectibus illi, qui à Deo iusto iudice infliguntur in pœnam commissi peccati, ut est æterna pœna seu damnatio, item induratio seu exacatio, siue posterior peccati permissio; & quæ eo pertinent occasiones, sunt effectus reprobationis positivæ; alij, in quibus est prima peccati permissio, cum occasionibus eodem spectantibus, sunt effectus reprobationis solum negatiuæ. Hæc assertio constat ex dictis.

Ex quibus colligitur primo, permissionem non solum peccati personalis; sed etiam originalis; nec solum peccatorum mortalium, sed quorundam etiam venialium; nec solum peccatorum, cum quibus reprobis decedit, sed etiam aliorum quorundam; nec solum permissionem peccatorum, sed etiam rem aliarum quarundam, circa reprobos, in hac vita seu permissionem, seu pœnationem suo quodam modo esse effectus reprobationis.

Colligitur secundo, rectè docuisse Sanctum Thomam hic quæst. 23. art. 3. duos vniuersim esse reprobationis effectus, videlicet *æternam damnationem, & permissionem peccati*; quæ tamen in duas subdiuidi potest, videlicet permissionem simpliciter dictam, & exacationem seu indurationem; & ad utramque referuntur occasiones propinquæ eorundem peccatorum, ut dictum.

23 Colligitur tertio, quid respondendum sit ad fundamentum oppositum Suarez, dum asserit, solas pœnas alterius vitæ spectare ad reprobationem positivam, eiusque effectus esse; non autem permissionem peccati, cum non procedat nec ex præscientia peccati finalis; nec ex voluntate damnandi. Respondeo enim nihil obstare, si modo alias procedat ab affectu iustitiæ vindicatiuæ erga reprobum, & simul re ipsa tendat ad æternam damnationem reprobis. Est enim quoad hoc dispar ratio inter damnationem, & vitam æternam; quod cum hæc sit finis omnium aliorum donorum gratiæ, & effectuum prædestinationis, merito quidem ex sua natura prius volita est, quam cætera dona, quæ ex eius affectu & intentione conferuntur. Damnatio vero propriè non est finis peccati, vel permissionis peccati, sed quidam tantum consequens ex diuina voluntate & ordinatione. Quare non omnis effectus positivæ reprobationis procedere necessariò debet ex voluntate damnandi, supponente præscientiam peccati finalis; sicut effectus quilibet prædesti-

nationis procedit ex voluntate saluandi: satis est, procedere ex affectu vindicatiuo Dei, & simul esse aut occasionem siue conditionem damnationis æternæ, aut ipsam damnationem æternam, ut dictum.

Et quamuis ea, quæ diximus, in primis ad homines reprobos adultos pertineant, tamen seruata in singulis proportione, ac suo modo, etiam paruulis & Angelis facile possunt accommodari.

D V B I V M III.

An & quanam sint cause totius reprobationis; præsertim ex parte reprobis.

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 3. & 5.

1 **C**ertum est primo, causam quasi efficientem totius reprobationis, omniumque effectuum illius, esse Deum; cum enim reprobatio sit pars quedam diuinæ prouidentie, necessario est actus quidam ipsius, qui proinde etiam reprobare dicitur. Dixi autem causam quasi efficientem; quia cum reprobatio, prout significat actum Dei immanentem, non sit aliquid causatum, sed sit ipse Deus, non potest Deus propriè esse, vel dici causa efficiens ipsius reprobationis. Accedit quod effectus quidam reprobationis propriè ac formaliter solum sunt negatiui, ut est permissio peccati, quæ in subtractione seu priuatione gratiæ consistit; ex dictis; qui proinde effectus etiam non habent aliquam causam efficientem propriam & realem, seu positivam; sed solum negatiuam, quæ est subtractio seu negatio concursus diuini ad conferendam gratiam.

2 **S**ecundo certum est, causam materialem reprobationis actiuæ, & immanentis nullam esse: quia est ipse **D E V S**, in quo nulla est potentia passiuæ, seu capacitatis ad aliquid in se recipiendum. Causa autem materialis siue subiectiua reprobationis passiuæ, omniumque ferè effectuum reprobationis (eo quidem modo, quo singuli causam subiectiuam habere possunt) est ipse reprobis, ut ex dictis patet; siquidem ipse est subiectum suo modo tam pœnæ æternæ, quam permissionis peccati, siue subtractionis & priuationis gratiæ; eo modo, quo priuationes in eodem subiecto esse dicuntur, in quo forma opposita poterat & debebat inesse. Dixi ferè, quia occasiones peccandi extrinsecæ, quæ etiam inter effectus reprobationis numerauimus, subiectiuè sunt extra ipsum reprobum, ut patet.

3 **T**ertio certum est, causam etiam formalem reprobationis propriè nullam esse requirendam; siue loquamur de reprobatione actiuæ & immanente in Deo, quæ cum sit ipse **D E V S**, ut dictum, non est aliquid compositum ex materia & forma; nec aliquid vllò modo causatum: siue loquamur de reprobatione passiuæ, & effectibus reprobationis; quia hæc cum aut sint ipsæ formæ seu accidentia, aut priuationes formæ & accidentium;

vt dictum, proprietatem non constant ex forma: quamuis in illis ratio formalis distingui possit, secundum quam formaliter sint effectus reprobationis. Sic enim subtractio V. G. gratiæ sanctificantis est effectus reprobationis, non quatenus formaliter est peccatum, sed vt est quoddam malum poenale, ex parte etiam inuoluntarium homini, æternæque beatitudini hominis aduersum.

4 Quarto certum est, loquendo de causa finali, dari causam finalem ex parte Dei, non quidem ipsius reprobationis actiue & immanentis in Deo, vt in simili de prædestinatione dictum, sed reprobationis passiue, omniumque effectuum illius, quam S. Thomas hic quæst. 23. articulo quinto ad 3. explicat: *Ex ipsa*, inquit, *bonitate diuina ratio sumi potest prædestinationis aliorum, & reprobationis aliorum. Sic enim Deus dicitur omnia propter suam bonitatem fecisse, vt in rebus diuina bonitas reprobationis in rebus propter hoc, quod res creatæ ad simplicitatem diuinam attingere non possunt. Et inde est, quod ad completionem vniuersi requiruntur diversi gradus rerum, quarum quædam altum, & quædam infimum locum teneant in vniuerso. Et vt multiformitas graduum conseruetur in rebus, DEVS permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediatur, vt supra dictum est. Sic igitur consideremus totum genus humanum, sicut totam rerum vniuersitatem. Voluit igitur DEVS in hominibus, quantum ad aliquos quos prædestinat, suam representare bonitatem per modum misericordiam parcendo, & quantum ad aliquos, quos reprobabat, per modum iustitiæ puniendo. Et hæc est ratio, quare DEVS quosdam eligit, & quosdam reprobat. Et hanc causam assignat Apostolus ad Romanos nono dicens: *Volens Deus ostendere iram, id est vindictam iustitiæ, & notam facere potentiam suam, sustinuit, id est permittit, in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiam, quæ preparauit in gloriam. Et 2. Timoth. 2. dicit, in magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & fœtilia; & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam. sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem, nisi diuinam voluntatem.* Ita Sanctus Thomas; cuius discursum super hac re pluribus aliorum Theologorum testimonijs fufius confirmaui supra quæstione quarta, dub. 1. & adduci etiam in eundem sensum potuisset locus Apostoli, Romanor. 9. versu 17. *Quia in hoc ipsum excecaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra.* Vbi tamen vocula, *vt*, propriè non significat causam finalem, saltem absolute & per se intentam, sed consecutionem, vt communiter Doctores notant, speciatim Suarez libro 5. capite nono, numero 10. & Vasquez disput. 95. cap. 7. num. 39.*

5 Vt autem mens S. Thomæ in assignanda causa reprobationis bene intelligatur, notandum ex Caietano hic articulo quinto, contra Aureolum in 1. d. 41. quæst. 1. esse quidem vtramque causam seu rationem reprobationis à S. Thoma, & imprimis ab Apostolo assignatam, verissimam &

optimam; nimirum vnam, demonstrationem diuinæ potentie ac iustitiæ Dei; alteram offensiuam vberiore bonitatis diuinæ in vasa misericordiam suæ in electos: attamen has causas siue rationes non hoc modo intelligendas, quasi Deus ex se ipso, ante omnem præuisionem absolutam, peccati, voluerit positiuè & absolute aliquos reprobare seu à gloria cœlesti excludere: aut quasi manifestatio & executio iustitiæ vindicatiue, sit sola aut præcipua, aut etiam per se sufficiens causa prima etiam permissionis peccati hominem damnantis, seu reprobationis negatiue: vtrumque enim alienum est à diuina bonitate; si enim Deus ita ex se, ac voluntate sua antecedente efficaciter intenderet punitionem & vindictam, seu actum iustitiæ vindicatiue, tum consequenter etiam ex se ipso vellet & velle deberet peccatum, sine quo iustitia vindicatiua exerceri non potest: quod est contra receptam doctrinam Theologorum, qui cū Damasceno docent, voluntatè puniendi pertinere ad voluntatem Dei non antecedentem, sed consequentem; & dari causam ex parte reprobati tam ipsius damnationis æternæ, quam obdurationis eiusdem, vtriusque videbimus. Sed & cum ad voluntatem & pium prouisorum non spectet, malum permittere ob solam demonstrandam iustitiam vindicatiuam; cum hoc per se non sit maius bonum, quam demonstratio bonitatis erga omnes; sed solum ob maius bonum procurandum, aut maius malum deuittandum, ideo sola demonstratio iustitiæ vindicatiue in Deo, non est per se causa sufficiens primè illius permissionis peccati, aut reprobationis negatiue.

6 Duplici ergo alio sensu accipienda est illa ratio Apostoli, & Sancti Thomæ. Primus ad reprobationem positiuam spectat; quod nimirum supposita futuritione absoluta peccati, & præuisione eiusdem, Deus iure merito ad demonstrandam suam potentiam ac iustitiam vindicatiuam, voluerit reprobare quosdam peccatores; reprobatione scilicet etiam positiuam, quoad vtrumque suum effectum, tum indurando scilicet in poenam commissi peccati, per subtractionem gratiæ congruè à peccato liberantis; tum etiam æternam poenam, infligendo. Alter sensus spectat ad reprobationem etiam negatiuam; quod nimirum Deus, tametsi absolute potuisset omnes homines & angelos efficaciter perducere ad beatitudinem, non voluerit tamen hoc facere; tum ob alias causas maioris momenti; tum post alias, etiam ob maiorem gloriæ ac virtutis suæ manifestationem; sed voluerit potius ob easdem causas, supposita non absoluta præscientia peccati, sed supposita tamen scientia media, quod multi hominum & Angelorum, si cum tali modo, & hac vel illa rerum & auxiliorum serie producerentur & dirigerentur, non essent affecturi gloriæ, ex se ipso decernere & constituere; eam ipsam rerum & auxiliorum seriem esse, executioni mandandam, cum qua eos perseueraturos & saluos denique futuros non esse præuiderat; non quidem ea ratione ex se ipso absolute decernendo, vt salui non fierent, aut

consulto ideo gratiam inefficacem destinando, quia inefficax erat, sed solum non præligendo illos, ad gratiam congruam, & gloriam; seu quod moraliter idem est, volendo eos non præligere, ad eandem gratiam & gloriam; seu etiam permitiendo ipsorum peccata, in quibus ipsi sua culpa essent perseveraturi, & ideo damnandi.

7 In quem sensum etiam Suarez citato libro secundo de auxil. capite quinto, numero decimo tertio ait: *Quod quidam aiunt, DEVM voluisse primam permissionem peccati, ut ostendat iustitiam suam, in punitione peccati, si intelligant, Deum intendisse hunc finem efficacis voluntate & præfinitione, & ideo permisisse peccatum, falsum est, & incidit in sententiam impugnatam de prædestinatione hominum quorundam ad mortem, ante præuisum peccatum. Si autem non id intelligant de voluntate præficiente, sed quasi conditionata, sustineri potest. DEVS enim licet non præfuerit, seu absolute decreuerit exercere iustitiam suam vindicativam, antequam permisit & præiudicet peccatum, voluit tamen punire peccata, si fierent; & præuidens etiam in hoc posse manifestari gloriam suam, ex permissione peccati, voluit illam, habens hoc propositum quasi conditionatum, operandi hoc bonum ex illo malo, si fieret. Idem repetit hic libro quinto capite quinto, numero vndecimo, ubi de reprobatione etiam negatiua loquens ait: *Alia veroratio, quæ sumi solet ex manifestatione iustitiæ Dei vindicatiuæ, non est ita accipienda, ut ante præficientiam absolutam futuri peccati habuerit DEVS intentionem, vel voluntatem absolutam manifestandi hanc iustitiam, quia Deus ex se non habet hanc voluntatem; alioqui vellet ipsam culpam. Solum ergo habuit DEVS voluntatem illam post præuisam culpam; antea vero præcognouit, se posse hoc bonum elicere ex peccato, si ab homine fieret, & solum habuit voluntatem conditionatam, ita se gerendi cum homine, si ipse peccaret.**

8 Ad eundem modum rectè philosophatur Molina hic quæst. 23. art. 3. his verbis: [Aduertendum est, splendorem diuinæ iustitiæ in damnatis, non solum non fuisse totum atque integrum finem, ob quem Deus permittere statuerit peccata; sed neque vlla ratione videri concedendum, fuisse vel præcipuam, vel tantam totius finis partem, quæ sola sufficeret, ut Deus vellet peccata permittere. Absit namque à fidelium cordibus, de totius bonitatis & clementiæ fonte suspicari, vel solam, vel præcipuam rationem, quare peccata permittere voluerit, fuisse, ut cum tanta creaturarum iactura & damno haberet, quod puniret, & in quo iustitia illius splenderet. Quamuis enim id sine cuiusquam iniuria Deus, tanquam rerum omnium Dominus, facere potuisset, bonitatem tamen ipsius id minime videtur decere; neque lumen naturæ, quod tanquam participatio quædam increati luminis diuini vultus in nobis consignatum est, id docet; quin potius, ut quid præ se speciem crudelitatis ferens, minimeque cum diuina bonitate consentiens respuit. Nec sanè id vlla ratione videtur Deo tribuendum, quod probus quisque & sapiens vir, in quocunque alio reipub. principe, etiam si apud illum summam rerum omnium esset potestas, meritò vituperaret. Quis autem non vituperaret principem, si ea præcipuè ex causa, res taliter in repub.

disponeret, peccataque permetteret, quæ tamen, posset impedire, ut ea ratione haberet, quod iuste puniret, & iustitiam suam vindicativam commendaret? certè nemo factum non reprehenderet. Licet ergo splendor diuinæ iustitiæ à Paulo ad Rom. 9. inter fines, ob quos Deus peccata permittere, reprobareque eos impios voluerit, quos re ipsa reprobauit, computeatur; non tamen is est finis solus, neque præcipuus, nec sine alijs finibus apud benignum patrem sufficiens censetur.] Ita Molina. Similia habet Vasquez disputat. 95. cap. 9. à num. 50.

9 Sunt ergo etiam alij fines eius rei adiungendi. I. ut suam creaturis libertatem & connaturalem agendi modum relinqueret. II. Ut ea occasione locus daretur & occasio Incarnationi Verbi & redemptioni humani generis. III. Ut ex peccatorum permissione ingentem, cumulum ac præstantiam meritorum & virtutum in Martyribus, Confessoribusque eliceret: & similes alia causa, quas quæstione 1. dubio 2. retulimus, cur Deus mala permittat.

His ergo ita generatim constitutis, de causis reprobationis; illud solum hoc loco explicandum restat, an aliqua, etià ex parte reprobi, detur causa motiua, præsertim in eius arbitrio sita, totius reprobationis, siue secundum se, siue saltem quoad effectus suos, seu quod idem est; an detur causa, seu ratio vilo modo motiua ex parte reprobi omnium effectuum reprobationis.

10 Qua in re primum reiiciendus est error Galuini 1. 1. Instit. c. 18. §. 4. & 1. 3. Instit. c. 21. §. 25. & c. 22. §. 3. & c. 23. §. 2. & 3. & c. 24. §. 2. & aliorum Caluinistarum, qui cum asserant, Deum ex se ad ostendam suam iustitiam, ante præficientiam peccati, quosdam destinasse non solum ad poenam damni, sed etiam ad poenam sensus; siue quod idem est, ad æternam mortem ac damnationem; ac ob eundem finem etiam ad malè operandum impellere, sublatò libero arbitrio; consequenter affirmare debent, ex parte reprobi nullam dari causam reprobationis, neque negatiuæ, neque positiuæ, nec quoad vltimum quidem illum effectum, qui est damnatio æterna, & poena tã sensus, quam damni. Quæ sententia planè crudelis, blasphema, & impia est, ut dictum etiam dub. præced. assert. 1. & pluribus demonstrat Bellarminus 1. 2. de statu peccati, & lib. 2. de grat. damnaturque, ut vidimus, in Concilio Tridentino sess. 6. can. 4. 5. 6. *Quoniam Deum mortem non fecit, nec letatur in perditione viuorum.* Sap. 1. v. 13.

11 Hoc ergo errore seposito, de quæstione proposita inter Catholicos Doctores admodum variæ sunt sententiæ; vniuersim autem loquendo, tres; maiore tamen ex parte, non tam reipla, quam nominibus & modo loquendi diuersæ. Prima sententia simpliciter & sine distinctione docet, nullam dari causam reprobationis ex parte reprobi, quoad omnes suos effectus: quæ sententia rursus duobus modis defenditur. Quidã n. rati omnem permissionem peccati in reprobo esse effectum reprobationis, eam sententiã ita explicant, nõ quod ipsius etiã reprobationis à gloria, non detur causa ex parte reprobi; eam enim fatentur esse peccata

eiufdem, ob quæ damnabitur; nullum enim exclusum à gloria ante præscientiam peccati: sed quod non detur causa ipsius primæ permissionis peccati in reprobo; adeoque & reiectionis à prima grâtia congrua. Ita videntur sentire Gregorius Ariminensis in 1. dist. 41. quæst. 1. artic. 2. Marsilius in 1. quæst. 41. a. 2. Adamus Sasbout in cap. 9. epist. ad Rom. *Quid ergo dicemus?* Ferrarionensis 3. cont. gent. cap. 16. Fauent etiam non parum Sanctus Thomas hic quæst. 23. art. 3. Durandus in 1. d. 41. quæst. 2. n. 14. Driedo 1. part. concord. lib. arbit. & prædest. cap. 3. quatenus non solum docent, nullam esse causam, ob quam hic potius, quam alius reprobetur, vt dictum q. 4. dub. 1. sed simul causam reprobationis non assignant ex parte reprobi; sed solum ex parte Dei antea relata. Fauet etiam Magister in 1. dist. 41. dum disertè pronuntiat, *Deum reprobasse quos voluit, non propter futura merita quæ præuideret: tamen ibidem agnoscat, dari causam obdurationis, & æternæ damnationis, vt retulimus dub. 1.* His etiam consentiunt Capreolus in 1. d. 41. quæst. vn. Caietanus hic quæstio 23. articulo quinto. Bannes Commentar. 1. ibidem versus finem, & Zumel ibid. disp. 4.

12 Alij vero ulterius progressi, ita hanc sententiam defendunt, vt simul asserant, nec ipsius quidem exclusionis absolutæ & reprobationis à gloria, dari causam ex parte reprobi; rati, eam factam ante præuisionem peccati, ita vt in eodem instanti, in quo cæteri electi sunt ad gloriam, alij fuerint absolutè reprobati à Deo, ad ostendendam iustitiam vindictiuam. Ita sentiunt nonnulli Thomistæ recentiores hic quæst. 23. art. 3. & 5. vt testantur Molina artic. 5. disputatione 3. Vasquez disput. 95. capite 1. numero 2. & Suarez hic libro 5. capite 3. vbi etiam refert pro eadem sententia Durandum, & Cordubam: qui tamen à Calvinistis in eo differunt, quod simul fateantur, dari ex parte reprobi causam æternæ damnationis; seu ipsius diuinæ voluntatis hominem in æternum damnandi ac puniendi, præcipuè quantum ad penam sensus.

13 Secunda sententia in altero extremo consistens, absolutè docet, dari causam totius reprobationis, etiam quoad omnes suos effectus, ex parte ipsius reprobi, saltem adulti. Ita consequenter docent non solum illi, qui asserunt dari causam totius prædestinationis, quos retulimus quæst. 4. dub. 4. sed ex alijs etiam Gregorius de Valentia hic quæst. 23. part. 2. punct. 3. vbi pro eadem sententia citat Henricum Gandauensè quodlib. 4. quæst. 19. & quodlib. 8. quæst. 5. Bonauenturam in 1. d. 41. art. 1. quæst. 1. Heruzum in 1. d. 40. quæst. vn. art. 2. Gabrielem & Ockamum in 1. dist. 41. item Eckium in Chrysopasso centur. 3. num. 52. qui & cent. 1. num. 91. multos alios pro hac sententia citat. Quos sequuntur Socus in capite nono ad Romanos, Molina hic quæst. 23. art. 5. disp. 3. & multi recentiores, vt refert Bannes hic art. 5. sub. fin.

14 Qui tamen authores rursus variant. Alij enim dicunt, hanc causam esse peccatum originale; huius enim permissionem inter effectus reprobatio-

nis adulti non computant; ac simul docent, in peccati huius quamuis remissi penam, denegari omnia auxilia actualia quæcunque non conceduntur reprobis; atque ita etiam permissionem peccati actualis accidere, quam agnoscunt esse effectum reprobationis. Refertur pro hac sententia Sanctus Thomas quæst. 6. de verit. artic. 2. ad 9. & in cap. 8. epist. ad Rom. lect. 3. & 4. & Waldensis tomo 1. part. 1. libro 1. capite 27. & fauet Augustinus in pluribus locis, præsertim epist. 105. & 106. & in Enchirid. cap. 57. & de prædest. sanct. cap. 14. dum ait, *Deum quosdam de massa perditionis misericorditer liberasse; quosdam iusto iudicio in ea reliquisse: quod fundamentum etiam non improbabile censet Suarez hic loc. cit.*

Alij docent, causam illam esse, non peccatum originale à singulis contractum; sed peccatum primi parentis: ob hoc enim iuste denegari omnem gratiam efficacem quæcunque denegetur. Ita Vasquez cit. d. 95. c. 4. n. 16. vbi ait, *nec vltimè etiam semipelagianum negare posse, quamlibet permissionem peccati merito peccati primi parentis iure tribendam esse, licet peccato originali, quod baptismo aut dilectione Deum deletum est, adscribi nequeat.* Quia tamen hoc ipsum peccatum, vt sic propriè non est ipsorum reprobatorum, quibus idcirco gratia congrua denegatur, ideo nec Vasquez absolutè dicit, totius reprobationis ex parte reprobi dari causam, vt videbimus.

15 Alij docent, totius reprobationis, quoad vtrumque effectum, permissionem scilicet peccati, & penam æternam, in adultis esse ipsa peccata actualia adulatorum, finaliter perseverantia, ob quæ damnantur; supponentes videlicet permissionem peccati non quamlibet, sed certam illam, quæ in penam præcedentis peccati decreta est, & vocatur obduratio, esse effectum reprobationis, iuxta dicta dub. præced. Atq; ita docet Gregorius de Valentia hic cit. quæst. 23. part. 2. punct. 3.

Alij ideo solum dicunt, dari causam reprobationis totius, quia datur causa ipsius spectatæ secundum illum effectum, qui est æterna damnatio; rati scilicet hunc solum propriè, & non alium esse effectum reprobationis. In quem sensum Bannes hic quæstione 23. artic. 5. putat, multos Doctores posse intelligi; qui proinde non tam re, quam verbis ab authoribus primæ sententiæ differant. In quem sensum etiam Molina hic cit. quæst. 23. artic. 5. disputatione 3. asserit, dari causam reprobationis, quod ea solum sit posita in actu diuinæ voluntatis excludendi peccatorem à vita æterna, tanquam ea indignum, aut etiam mancipandi simul suppliciiis æternis, si in actuali peccato præuideatur ex hac vita discessurus. *Alia, inquit, si reprobatio includeret non solum voluntatem illam diuinam excludendi reprobans à vita æterna, sed etiam voluntatem permittendi ipsius, aut primi parentis peccata, propter quæ est damnandus, obdurandique in eisdem usque ad finem vitæ, utique quoad integrum effectum non daretur causa ex parte reprobi, sed conditio damnata, sine qua sicus ipse vitam non finiret in peccato, ita neque in Deo præcessisset eius reprobatio.* Ita Molina; qui tamen quid de permissione peccati alibi dixerit, dictum est dub. præced.

16 Tertia sententia in hac re vitur distinctione; quæ tamen rursus non apud omnes eadem est. Alii enim, quorum dux præcipuus & Antesignanus est Scotus in 1. d. 4. r. q. vn. & sequitur Bassolis ibid. & Corduba lib. 1. q. 56. opin. 5. Suarez hic lib. 5. c. 5. & 6. multiq; alii, distinguunt inter reprobationem negatiuam & positiuam; huius n. concedunt dari causam ex parte reprobati, non aut illius. Ex quibus tamen auctores illi recentiores per reprobationem positiuam intelligunt solam reiectionem à gloria; nam quæ est à gratiâ, permissiuam, non negatiuam vocant, conuenienter vt existimant Scoto; quod etiam notauit Vasquez cit. d. 95. c. 5. n. 22. Sed & quandam reiectionem à gratiâ congrua ad reprobationem positiuam pertinere, dictum est dub. præced. quamuis quæstio hæc solum sit de nomine & modo loquendi.

Alii verò auctores distinguunt inter reprobationem à gratiâ, & à gloria; huius n. cōcedunt dari causam ex parte adulti, ipsa videl. peccata, ob quæ reprobati dānatur; illius verò, vt & reprobationis à dequate spectata, secundum omnes suos effectus, negant dari causam. Ita Vasquez cit. disp. 95. c. 5. & 6. idemq; cōsequenter ferè docent omnes illi, qui cū plures eiusmodi agnoscant effectus reprobationis, simul prædestinationem ad gratiam congruam dicunt fieri ante præuisa merita, ad gloriam verò putant neminem prædestinari ante merita præuisa.

17 Ex quibus omnibus colligitur, catholicos hæc in re conuenire in tribus ferè capitibus. Primum est, nullam dari causam ex parte reprobati primæ permissionis peccati, aut cui Deus negauerit primam gratiam, congruam à peccato præferantem; siue eum prævidentiæ modum, ac mediorum ordinē, quo à primo peccato præseruaretur. Secundū, dari causam ipsius reprobationis, quoad effectum illum æternæ damnationis, & poenæ saltem sensus. Tertium est, ipsum quoq; peccatum primi parētis esse causam reprobationis omnium eius posterorum, quoad vtrumq; effectum; in quo etiam vtroq; posteriori capite Catholici omnes à Caluino eiusque affectis superius relatis dissident. Iam eius, quæ de cætero superest, controuerſiæ, an detur ex parte reprobati causa totius reprobationis, quoad vtrumq; effectum, bona pars est de nomine potius, quam de re ipsa, vt rectè etiam notauit Vasquez disp. 95. c. 5. n. 20. Suppositis autem iis, quæ de duplici reprobatione, & vtriusque effectibus disputauimus dub. 2. & 3. sententiam nostrā sequētib; assertionibus in hunc modum declaramus.

18 Assertio I. Reprobationis negatiuæ à gratiâ congrua electorum propria, seu reiectionis est absolutæ à prima gratiâ congruâ; seu quod idē est, primæ permissionis peccati ipsi reprobati, ob quod damnabitur, siue de paruulis sermo sit, siue de adultis, nulla datur causa ex parte reprobati. Ita habet communis ac propemodum certa sententia omnium auctorum, quos pro prima & tertia sententia citauimus, speciatim Suarez hic lib. 5. c. 5. & Vasquez disp. 95. c. 5. nec in re dissentit Molina cit. q. 5. disp. 3. licet verbo tenet repugnare videantur nonnulli recentiores, qui cum negent, in nostra potestate esse prædestinari ad gratiâ congruam, dicunt tamen in nostra esse potestate, non prædestinari: & citant pro eadem sententia Henricum Gandauensem, Bonauenturam, & Alensem apud Vasquez cit. disp. 95. num. 53.

Sed probatur assertio primò, ex Scriptura Rom. 9. v. 11. *Cum n. nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, (vt secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei; Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau aut odio habui. Qui loc⁹ iuxta comunem Augustini ac Doctorū interpretationem, typū exhibet electorū & reprobatorum, vt dictum supra q. 5. dub. 4. Dicitur aut Deus odio habuisse Esau, ante omnia præuisa merita, secundum quasi effectum, seu interpretatiuè, nimirū non ita diligendo, vt optimè declarauit S. Thomas hic q. 23. a. 3. ad 1. Qualem sensum inter alios et reddunt illa Scripturæ loca Matth. 6. *Aut vnum odio habebit; Luc. 14. Siquis venit ad me, & non odit patrem, &c. Ioan. 12. Qui odit animam suam. &c.* Præterquam quod S. Thomas 1. cont. gent. cap. 90. & 1. p. q. 20. a. 2. vniuersim negat, Deum propriè loquendo vllum hominem odisse, de qua re plura Molina q. 23. a. 5. d. 3. Suarez hic lib. 5. c. 4. n. 12. licet aliter de hac re differat Vasquez disp. 95. cap. 8. quasi illud, *odio habui*, non referatur ad illud, *Antequam quicquam boni vel mali egissent &c.* quod repugnat communi sensui Patrum & interpretum, ipsique contextui verborum.*

Huc et referri potest illud Apostoli ibidē Rom. 9. v. 18. *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat:* scil. negando auxilium gratiæ congruæ, vt pluribus Suarez ibid. c. 4. n. 9. & consentit Vasquez disp. 95. n. 56. Quanquā hic locus magis accommodatè iuxta literam ad negationē secundæ gratiæ congruæ refertur; non quod vniuersim nulla detur causa, sed quod ex peccatoribus Deus suo arbitratu indurat quos vult, alios liberat, quos vult; cum nulla huius complexi detur causa, quare ex peccatoribus Deus hunc potius, quam alium induret, negando ei gratiam congruam, vt dictum supra q. 4. dub. 1.

Secundò probatur ex S. Augustino lib. 1. ad Simplicianū q. 2. & lib. 11. de Gen. ad lit. c. 10. & de prædest. & grat. c. 15. & 16. & passim l. de prædest. Sanct. & de bono perseuer. & Prospero de vocat. gēt. c. 21. quibus locis absolute isti videntur docuisse, nec prædestinationis, nec reprobationis causā ex parte nostra dari; sæpiusq; inculant illa Apostoli, *Aut non potestatem habet filius, facere aliud vā in honore, aliud in contumeliam. &c.* Item, *O altitudo. &c.* quæ quantū ad reprobationem attinet, saltem de reiectione à prima gratiâ congrua verificari debent. Vide quæ in hunc sensum retulimus ex Augustino supra cit. q. 4. dub. 1.

20 Tertiò probatur ratione. Primò; quia prima permissio peccati, & negatio primæ gratiæ congruæ, præcedit omne peccatum reprobati, saltem quod sit causa eiusmodi negationis vel permissionis, ex dictis dub. præced. Ergo nullum in eo peccatum, adeoque nihil omninò potest in eo esse causa reprobationis negatiuæ, respectu primæ gratiæ congruæ.

Secundò si esset aliqua eiusmodi causa, esset vel peccatum originale, vel peccatū primi parētis, ex dictis; neutrum dici potest: quia vtriusq; et permissio est effectus reprobationis negatiuæ, ex dictis dub. præced. Accedit quod neutrum est in potestate hominis; vt saltem hac ratione non possit assignari aliquid in potestate reprobati sitū, quod sit causa huius reprobationis. Deniq; peccatum primi parentis non est aliquid in ipso homine, vt bene Vasquez: Ergo etiam si hoc esset causa primæ permissionis peccati actualis in repro-

bo, non tamen ideo pro eius rei causa assignaretur. proprie aliquid ex parte ipsi? reprobis: originale peccatū verò in plerisque; reprobis iam supponitur remissum, priusquam in peccatū aliquo actuali incident; non ergo potest esse causa in eis permissionis primi peccati actualis, seu negationis primæ gratiæ congruæ ab eo præferuantis; quæ quid auctores illi pro secunda sententiâ secundo loco relati dixerint: quandoquidem absurdum planè videretur, peccatum originale, quoad poenæ aternitatem necessariò spectantes, non æqualiter omnibus remitti, vt bene etiam notarunt Bannes hic art. 5. & Vasquez d. 95. cap. 1.

21 Tertiò. Ipsius prædestinationis & applicationis ad primâ gratiâ congruam, nõ datur causa ex parte reprobis; Ergo nec reprobationis seu remotionis ab eadē gratiâ: quia alioquin et assuetio & prædestinationis ad eandē esset in nostra potestate: nunquam a. negatio seu priuatio formæ est in nostra potestate, nisi et forma sit in nostra potestate; nec n. possumus prohibere carere lumine; nisi possumus et prohibere non carere, quod est habere lumen. Quare merito Vasquez cit. disp. 95. n. 55. oppositam sententiâ superius hac assertionem relata his verbis redarguens ait: *Non possum non mirari horum Doctorum sententiâ; qui cum affirmant, non esse in alicuius potestate prædestinari, quia nõ est in alicuius potestate gratia peculiari præueniri; nihilominus dicunt, esse in nostra potestate, non prædestinari; hoc est, gratia illa peculiari non præueniri eadē omnino sit virtus, ratio. Nam quamuis cuius, nostrum liberum sit potestate antecedente, cuius vocationi et congruè resistere, & ita in nostra sit potestate, vt vocationi nobis collata ad prædestinationem, aut ad non prædestinationem pertineat (de quo alibi) tamē vtridē dicebamus, in nostra potestate non est, ea gratia præueniri aut nõ præueniri, quã Deus nouit in nobis esse, & nõ habiturã, &c.*

Sed obiicitur primò illa Scripturæ loca, quib. docetur, Deum ex se voluisse salutē nostrã, ex nobis aut ortū habuisse damnationem nostrã, Ezech. 18. Osee 13. 2. Pet. 3. In quem sensum et sæpe loquuntur alii Patres, in primis Prosper, l. 2. de vocat. gēt. c. 12. & 19. & Augustinus lib. 2. de peccat. merit. & remis. c. 17.

22 Respondetur cum Vasquez cit. disp. 95. c. 9. hæc nihil obstare prædictæ veritati: inde n. solū colligitur, Deum omnibus offerre gratiam sufficientem, quæ possint saluari; & si qui per eam non saluentur, atque etiam gratia vltiore adiuuante careant, ex ipsorum id culpa accidere: non autē est necesse, vt acquisitio primæ gratiæ congruæ sit in hominis potestate, aut omnibus offeratur; quandoquidem ea non est necessaria ad hoc, vt homo possit saluari; licet sit necessaria ad hoc, vt re ipsa saluetur.

Obiiciuntur secundò quædam loca Augustini, vt cum lib. de perseuer. cap. 8, inquit: *Qui liberatur, gratiam diligit, qui nõ liberatur, debitum agnoscat.* Et lib. de prædest. Sanct. c. 14. ait: *Gratia Dei gratis datur, cui datur; in isto autē iudicio non datur cui non datur:* quod ipse sæpius repetit; & transumpsit ex eo Prosper lib. ad capit. Gall. obiect. 7. Respondetur, Augustinum loqui de hominibus iam infectis peccato originali, siue de iis, qui peccarunt in Adamo; & hoc peccato supposito, rectè quidem ex eo, non ex peccato aliquo personali reprobi, assignatur causâ subsequenti derelictionis à Deo, seu negationis gratiæ congruæ, tum liberantis ab eodem peccato, tum præferuantis à nouo peccato æquali: sed quia illud ipsum peccatū Adami

non est in potestate propria reprobis, nõ ideo efficitur, in eorū potestate esse gratiâ congruâ prædestinatorum propriã, vt bene Vasquez n. 60. præterquã quod permissio ipsi? et peccati originalis, & Adami, ad effectum reprobationis pertinet, vt dictū dub. 2.

23 Obicitur tertiò speciatim loc⁹ Prosper 3. resp. ad Capit. Gall. vbi ait: *Non necessitatem puniendi habuerunt, quia prædestinati non sunt; sed ideo non prædestinati, quia tales futuri ex voluntaria præuersione præsciti sunt.* Similia habet resp. 7. Respondeo cum Suarez hic lib. 5. c. 5. n. 7. & Vasquez cit. disp. 95. n. 61. Prosperum hoc loco pro termino positio vsum esse termino negatio; nimirum, non prædestinati, pro reprobis: siquidem & ex illa ipsa uocula puniendi, & ex contextu constat, eum loqui de reprobatione positua.

Quod verò ad Scholasticos Doctores attinet, quos oppositæ sententiæ auctores pro se citant, bene respondet Vasquez cit. d. 95. n. 64. *Non miror, si Bonaventura, Alexander, & Henricus fateantur, esse in nostra potestate nõ prædestinari, quando ipsi iuxta varios modos dicendi alibi relatos, affirmant, ex nobis esse causam, aut conditionem, vt simus prædestinati. Miror tamen hos recentiores, qui cum fateantur oppositū, & c. neg. vllō modo prædestinationem in nostra esse potestate, affirmant nihilominus, in nostra potestate esse, & ab ea pendere, non esse prædestinatos: cum tamen vtriusque eadē sit ratio, vt dictum.*

24 Ex quib. et colligitur, primâ gratiâ congruâ, peculiari, & propriâ prædestinatorū, in cuius negatione cõsistit nõ prædestinari, non denegari nobis culpa nostra, vt bñ et Vasquez d. 95. n. 59. 60. 61. ex comuni

Assertio II. Sed neq; reprobationis, negatiuæ à gloria, datur vlla causa ex parte reprobi; neque in paruulis, neque in adultis. Hæc assertio non est tam certa, quam præcedens: est tamen cõmunis omnium eorum, qui docent, prædestinationem ad gloriam, tã in hominibus, quam in Angelis factam esse ante præuisionem futurorum, seu mediõrum, quos retulim⁹ supra q. 5. dub. 3. & hic dub. præced. agētes de reprobatione negatiuâ; speciatim autem ita docet cum Scoto, Baflo, Cordubensi, omnibusque Thomistis recentioribus, Suarez lib. 5. de prædest. cap. 5.

25 Ratio sumitur ex dictis dub. præced. Quia in eodē instanti quidam sunt electi, & alii non electi; nam eo ipso quod quidã electi sunt, alii non fuerunt electi; alioquin nulla esset electio; si non esset aliquorū, p̄ aliis non electis: Ergo cum electi sint illi ante præuisionem mediõrum, & eorū, quæ circa ipsos essent futura, et illi in eodem instanti necessario fuerunt non electi, ante præuisionem itidem futurorum, quæ circa ipsos essent euentura; adeo q; ante præuisionem peccatorum ipsorum: Quo fit, vt nulla possit ex parte ipsorū assignari causa non electionis; talis n. causa alia esse non possit, quã præuisionem ipsorum peccata. Et cõfirmatur. Quia præuisionem demeritorum, seu peccatorum in reprobis, non fuit prior in mente diuina, quã præuisionem meritorum in electis: cum potius demerita reprobiorum, sint propter electorum merita, in genere causæ finalis; omnia enim electis cooperantur in bonum: Ergo si illi sunt electi absque meritorum præuisionem, etiam alii fuerunt non electi absque præuisionem demeritorum. Denique Deus nemini quicquam debens, sicut voluit benignè aliquos eligere ad gratiam & gloriam, ita sine iniquitate potuit alios non eligere: Ergo ita factum est; cum hoc

per se ad ostendendam gratitiam Dei benignitatem erga electos sit aptissimum.

26 Neq; verò huic assertioni aduersantur alii, præter illos, qui cum negent, Deum prædestinasse saluandos ad gloriam ante præuisionem mediocum, simul etiam reprobationem illam negatiuam à gloria in eodem instanti factam penitus negant; quorum fundamenta partim superius quæst. 5. dub. 5. partim hic dub. 1. refutauius.

Assertio III. Idem dicendum de actu positio diuinæ voluntatis non præeligendi reprobos ad gratiã vel gloriam. Ita consequenter & proportionaliter vel de gratia, vel simul et de gloria sentiunt omnes authores citati pro assert. 1. & 2. speciatim Suarez hic cit. lib. 5. c. 5. Ratio est. Quia cum ex veriori, cum actu positio diuinæ voluntatis admittendum esse, ex Scoto, & aliis docuerimus; & verò nihilominus eadem sit moraliter huius actus positio ratio in Deo, quæ est ipsius negationis eligendi ad gratiã vel gloria; cū & in effectu, & ex parte obiecti planè coincident, fieri non potest, vt voluntas hæc nõ eligendi causam ex parte reprobii habeat, si ipsa non electio causã non habeat. Vti tñ Vasquez, & alii contra secundã assertionem relati, non agnoscunt vllam reprobationem negatiuam à gloria, quæ facta sit absq; causa, & ante præuisionem demeritorum; ita etiam consequenter negant, in Deo fuisse voluntatẽ non eligendi ad gloriam, absq; causã ex parte reprobii, & ante præuisionem demeritorum; sed quorum fundamenta iam alibi sunt refutata, vt in fine assert. 2. diximus.

27 Assertio IV. Nihilominus tñ reprobationis positio, ac proprie dictã à gloria; sicut & absolutæ reiectionis ac exclusionis à gloria, absolutæq; voluntatis non dandi gloriam, datur causã ex parte reprobii; ita nimirum vt ante præuisionem peccatum Deus non haberet absolutum decretum excludendi à regno cælestiali quã intellectione creaturam. Ita docent omnes authores secundã & terciã sententiã, eandẽq; assertionem cum S. Thoma q. 6. de verita. 1. ex instituto tuentur Molina hic q. 2. a. 3. Suarez lib. 5. c. 3. & 4. Vasquez disp. 95. cap. 5. & 6. & communis Theologorum, speciatim Scotus in 1. d. 4. r. q. 1. vbi ait, sine crudelitate non posse aliud cogitari: quem sequitur Bassolis in 1. d. 40. q. 1. Catharinus quoque lib. 2. de prædest. oppositam sententiam dicit esse horribilem, & omnium priorum aures verberare, ipsumq; Augustinum eam vt impiam detestari lib. 6. Hypognost. & Viguier⁹ Instit. Theolog. cap. 20. §. 8. v. 2. dicit sententiam illã diuinã iustitiã repugnare. Alii, esse Caluinistarum atrocem sententiam, &c. Quæ & plura alia cum retulisset Suarez lib. 5. cap. 3. n. 6. subiungit: *Quæ non ideo refero, inquit, vt has omnes exaggerationes & censuras approbẽ, & meas faciam* (earum enim iudiciũ aliis permitto) *sed solum vt sensum Catholicorum Doctorũ proponã.* Prudenter quidem, quia reuera hæc sententia quorundã Scholasticorum, quam citati authores insectantur, ab impia & execrabili Caluinistarum sententia, dãnata in Concilio Tridentino sess. 6. can. 17. plurimũ distat: præterquam quod moraliter eiusdem ferẽ rationis esse videtur, absolutè reicere à gloria, & absolutè reicere à prima gratia congrua; quod tñ Deum ex se facere, vix potest negari, vt dictum assert. 1. Satis est ergo dicere, oppositam sententiam eorũ, qui docent, absolutam reiectionem à gloria factam esse in

eodem instanti, in quo ceteri sunt primò electi ad gloriam, ante præuisionem futurorum, non videri probabilem.

28 Probatur assertio primò ex Scriptura, dum absolute docet, Deum ex se omnes velle saluos fieri; neminẽ velle perire; per cũ non stare, quo minus omnes salui fiant; item neminem punire velle innocentem, vt videre est Ezech. 18. Osec 13. 2. Pet. 3. Speciatim huc facit illud Sap. 12. v. 1. *O quam bonus & suauis est Dominus spiritus tuus in omnibus!* Ideo, eos qui exerrant partibus corripis; & de quibus peccat, admones & alloqueris. Et versu 14. *Neg. rex, neg. tyrannus in cõspectu tuo inquirunt de his, quos perdidisti. Cum ergo sis iustus, iuste omnia disponis ipsum quoq; qui non debet puniri, condemnare exterum æstimas à tua virtute.* Ita habet emendata lectio, non sensu contrario, prout antea à nonnullis hic locus obiciebatur. Idem patet ex illo Sap. 1. v. 13. *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuientium.*

29 Probatur secundò ex Patribus. Hæc enim est manifesta doctrina Augustini epist. 105. & lib. de prædest. Sanct. cap. 10. & de bono persequ. cap. 8. & 18. & alibi passim. Certè lib. 1. ad Simplic. q. 2. ait. *Noluit ergo Esau, & non ecurrit; sed & si voluisset, & ecurrisset, Dei adiutorio peruenisset, nisi uocatione contempta fieret reprobus.* Et epist. 106. ad Paulinum, ait: *Quenquã verò immeritum, & nulli peccato obnoxium, si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Et lib. 3. cont. Iulianum cap. 28. *Bonus est Deus, iustus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quenquã sine malis meritis damnare, quia iustus est.* Est autem iuxta Augustinum damnatio quãdã, ipsa etiam absoluta exclusio seu reiectio à beatiudine.

Idem docet siue Augustin⁹, vt citat Vasquez d. 95. n. 2. 6. seu quisquis est author lib. 6. Hypognost. vbi dicitur: *Quia verò iustus, & misericors Deus, præsciusq; futurorum, ex hac damnabili massa, non personarum acceptione, sed iudicio aequitatis suæ, quos præscit, misericordia gratuita præparat, id est, prædestinat ad æternã vitam; ceteros aut pœna punit, quos ideo punit, quia quid esset futuri præscit, non tamen ipse fecit puniendos vel prædestinavit.* Et ibidem post med. *Tenenda est inconcussa huius disputationis regula, quæ diuini testimonii claruit; peccatores in malis propriis, antequam essent in mundo, præscitos esse tantum, non prædestinatos; pœnam autem esse eis prædestinatam, secundum quod præsciti sunt.*

30 Idem indicat Concilium Arausicum II. can. 25. vbi dicitur: *Aliquos verò ad malum diuina potestate prædestinatos esse, non solum non credim⁹, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illos anathema dicimus.* Quod repetit etiam Concilium Tridentinum sess. 6. can. 17.

Et Concilium Valentinum sub Lothario cap. 3. *Fidenter fatemur, prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen, seluandorum misericordiam Dei præcedere meritis bonum; in damnatione verò periturorum, meritum malum præcedere iustum iudicium Dei.*

Idem docent Prosper resp. 3. & 7. ad Gallos, & resp. 11. ad Vincentium, & Fulgentius lib. 1. ad Monimum, cap. 2. 6. vbi ait, *Notum est, iram Dei dici non posse, nisi vbi creditur hominis iniquitas præcessisse.* Eodem pertinet doctrina communis Damasceni lib. 2. de fide. cap. 29. quando docet, Deum ex se non velle malum hominibus, sed ab ipsis prouocatum,

31 Ratio est. Primò, quia reprobare propriè dicit aliquem actum positivum, verumq; animi propositum, & quidem non tale solum, quo quis apud se nudè constituat, non præeligere aliquem ad præmium certumve finem, sed quo quis tanquàm indignum, ineptumq; eum reiecit, atq; à tali præmio sineve quasi positivè excludit, vt rectè notant Molina q. 23. a. 3. & Suarez hic lib. 5. c. 4. n. 8. sicut excludi à domo nõ dicitur, qui ad eius ingressum non destinatur, aut efficaciter nõ trahitur, sed qui obiecto impedimento, conatus ingredi prohibetur: nec reiciit aliquis ab aliorum schola, qui nunquam in examen de ascensu venit; nec reprobari instrumenta à fabro, quæ ad hoc vel illud opus non adhibentur: atqui velut indignus à gloria nemo potest excludi, nisi ob peccatum finale, quo indignus gloria redditur: Ergo nemo positivè ac propriè excluditur à gloria, nisi ob peccatum & demeritum suum.

32 Secundò. Quia in primo illo instanti, ante prævisionem futurorum, quo aliqui sunt electi ad gloriam, alii non electi, isti qui non sunt electi, non sunt absolute reiecti à gloria; cum non obstante illa non præelectione, possint adhuc eligi, & verò etiam eligendi essent, si gratiæ finaliter bene cooperaturi, atq; in ea ex hac vita decessuri essent, vt dictum supra q. 5. dub. 4. & hic dub. 1. in fin. Absolutè verò à gloria reiecti & exclusi sunt tunc primum, quando præsciuntur extra statum gratiæ, ac in peccato mortali à vita decessuri: Ergo ratio & causa absolutæ reiectionis seu exclusionis, seu voluntatis reiciendi à gloria, est peccatum eorundem mortale prævium, quale quale illud sit, vt dicitur assertione 6. Qui verò contrarium sentiunt, contrario nituntur fundamento, quasi non electi ad gloriam in primo instanti eo ipso sint absolute reiecti à gloria, quod locis citatis refutavimus.

33 Assertio V. Sed & reprobationis positiviæ à gratia congrua, adeoque totius reprobationis positiviæ, & simpliciter dictæ, tam à gratia, quam à gloria, datur causa ex parte reprobi. Ita docent citati pro præced. assertione, & est communis Doctorum cum Magistro in 1. dist. 41. vbi docet, obdurationis dari causam & demeritum ex parte reprobi: etsi simul neget, reprobationis dari causam; addens Deum reprobare quos vult; seu quia loquitur de entitate absoluta actus diuini; seu potius quia tunc loquitur de reprobatione cum respectu ad omnes suos effectus, ex quibus etiam est prima permissio peccati, seu negatio primæ gratiæ congruæ, cuius nulla est causa ex parte reprobi, vt dictum assert. 1.

Ratio sumitur ex dictis dub. 1. & 2. Quia reprobatio positiviæ à gratia, est voluntas reiciendi aliquem à gratia congrua, liberante à peccato contracto, velut indignum, seu voluntas obdurandi in penam peccati præteriti; at verò huius voluntatis vtique datur causa ex parte reprobi, ipsum scilicet peccatum eiusdem antea commissum: vt patet etiam ex Scriptura, quæ in penam peccati homines obdurari docet, vt dub. 2. dictum. Neque his repugnat, quod Vasquez; & alii quidam sæpe dicunt, reiectionem, vel etiam exclusionem à prima gratia congrua, fieri absque causa ex parte reprobi; quia aliud est reiectio à prima gratia congrua; seu prima permissio peccati; aliud induratio seu excaecatio; illa enim nullum peccatum supponit; hæc supponit peccatum, ob quod & in quo aliquis obduratur.

34 Dixi autem reprobationis positiviæ à gratia congrua, non autem simpliciter & absolute reiectionis à gratia congrua; quia inter gratiam & gloriam hoc discrimen est; quod à gloria nemo simpliciter reiectus est in primo instanti, ante prævisionem futurorum, vt dictum: at verò à gratia congrua, ex veriori, in eo ipso instanti quisque absolute reiectus est, in quo non est præelectus ad eandem; quia non datur instans posterius, in quo Deus paratus sit eligere ad gratiam congruam; neque quoad hoc est opus expectare posteriorem euentum, dispositionis bonæ scilicet ipsius hominis; cum gratiæ congruæ præparatio & destinatio necessariò præcedat omnem bonam dispositionem re ipsa futuram: vt dictum supra cit. dub. 1. in fine. Ergo licet reiectionis absolute à gloria detur causa ex parte reprobi, non tamen reiectionis absolute à prima gratia congrua, vt sæpius etiam inculcat Vasquez cit. disp. 95. cap. 9.

35 Assertio VI. Causa reprobationis positiviæ tum à gratia, tum à gloria, aliter explicanda est in parvulis, quam in Angelis & hominibus adultis, qui ob peccata personalia damnantur: quia omnes quidem reprobandi & excluduntur à vita æterna ob peccatum, quocum ab æterno prævidentur statum, via conclusuri; at tamen à gratia velut indigni non ob aliam causam reiciuntur parvuli, quam quia peccarunt in primo parente; ceteri verò à gloria velut indigni reiciuntur & reprobandi ob peccata sua personalia, in quibus ad finem vitæ seu via perseveraturi cognoscuntur: à gratia verò congrua liberante à peccatis, ob eorundem peccatorum perpetrationem prævisam. Ita colligitur ex Doctoribus citatis pro assert. 4. & 5. Idem sumitur ex lib. 6. Hypognost. citato, vbi cum auctor dixisset, peccatores, nempe adultos, præscitos fuisse in malis propriis, atque ita penam eis prædestinatam secundum quod præsciti sunt, mox subiungit; parvulos quoque non renatos prædestinate penæ esse obnoxios (sentiendum est) qui præsciti sunt, non propriis voluntatibus, nisi tantum in Ad peccato, quod traxerunt nascentes, et in hoc manentes solverunt tempus vite præsentis.

36 Ratio est: quia parvuli quidem indigni redditi fuerunt gratia & gloria, ob peccatum commune primi parentis, seu quia in ipso omnes peccaverunt, iuxta Apostolum, & communem doctrinam superius relata: at tamen nullo proprio ac personali peccato se indignos gratia reddiderunt, quia à peccato præservarentur, aut liberarentur. Angeli verò, & adulti, aliis peccatis personalibus, ob quæ damnantur, se indignos gratia reddiderunt, adeoque causam dederunt, cur à gratia congrua deinceps velut indigni reprobandi: quamvis illa exclusio Angelorum à gratia congrua, post lapsum, non fuerit effectus reprobationis, distinctus ab ipsa damnatione eorundem, cum immediatè post lapsum fuerint in termino & incapaces omni gratiæ.

37 Neque tamen negamus, in adultis, præter peccata personalia, etiam id ipsum peccatum quo in Adamo peccarunt, si nondum eis remissum fuerit, potuisse causam esse & obdurationis & damnationis: sed in quo à parvulis differunt, hoc est, quod semper peccata personalia habent, ob quæ damnantur; originale aliquando non habent.

Atq; ex dictis colligitur, omnes ferè sententias su-

perius

perius recitatas aliquo sensu verum dixisse. Nam prima vera est de reprobatione negatiua, seu de reprobatione adæquatè accepta, in ordine ad omnes suos effectus collectiue: secunda de reprobatione strictè ac propriè loquitur; eamque distinctionem vocis reprobationis tertia clarius exponit; vti etiam à nobis factum est.

38 Colligitur secundo, quodnam sit discrimen inter reprobationem & prædestinationem, quo ad causas vtriusque ex parte reprobati. Prædestinatio enim secundum vtrumque suum effectum, & gratiæ, & gloriæ, etiam propriè accepta, nõ habet causam ex parte reprobati: quia id quod in ipso prædestinato est causa gratiæ vel gloriæ, est etiam effectus prædestinationis: at verò peccatum, quod est causa damnationis nostre, non est à Deo, nec adeo est effectus reprobationis: quo fit, vt reprobatio positiua ab eadem gratia congrua & gloria habeat causam ex parte reprobati demeritum & peccatum ipsius. Et iure quidem; quia cum Deus sit infinita bonitas, rectè quidem ex se ipso destinat ad gratiam congruam & gloriam, nulla data causa ex parte hominis; vt ita misericordia eius præueniat nos; at verò ex se ipso neminem repellit, & velut indignum à gratia aut gloria positiue excludit; ne prius ille nos damnare, quam nos illum offendere dicamur; licet in hoc sit par ratio vtriusque, quod nec electionis, nec non electionis ad primam gratiam congruam vlla detur causa ex parte reprobati, vt dictum. Qui verò hac de re aliter loquuntur, ex dictis refelluntur.

DVBIVM IV.

Quo ordine ac processu, in mente diuina fiat reprobatio; siue ipsos actus eius inter se, siue eam cum prædestinatione conferamus.

S. Thom. 1. 2. q. 23. a. 3.

1 ANtequam ordinem actuum ipsius reprobationis constituamus, supponendum prius, quinã sint, & quam variis actibus ipsius reprobationis. Et quidem Molina q. 23. art. 5. disp. 3. tres actus diuinæ voluntatis ad reprobationem spectantes recenset; vt primus sit voluntas permitteendi ea peccata, propter quæ ille damnabitur; cuius effectus est permissio eorundem peccatorum; secundus actus sit voluntas obdurandi peccatorem in iisdem peccatis; cuius effectus est obduratio: tertius est voluntas eundem damnandi; cuius effectus est æterna damnatio, vt fufius retulimus supra dub. 2. assert. 5.

Cæterum hæc partitio seu enumeratio actuum reprobationis non omni ex parte probatur: non solum quia reprobatio formaliter ad intellectum, non ad voluntatem pertinet, ex dictis dub. 1. sed etiam ob alias causas. Primò quia partitio illa non est sufficiens & adæquata; omittit enim reprobationem negatiuam à gloria, seu voluntatem simplicem non prælegendi ad gloriam; idque ideo, quia cum non agnoscat prædestinationem ad gloriam ante præuila merita seu media, consequenter negat reprobationem negatiuam à gloria simul in eo instanti factam, vt dictum dub. 1. Deinde non satis idoneè distin-

guit actus reprobationis, in ordine ad negationem gratiæ congruæ, seu permissionem peccati; nec obdurationem rectè vniuersim condistinguit contra permissionem peccatorum, quam primo actui tribuit: quia obduratio prout est effectus reprobationis positiuæ à gratia, non solum respicit derelictionem in peccatis præteritis, sed etiam permissionem peccatorum subsequentiū in poenam peccati præteriti; qua ratione dicuntur homines dati à Deo in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt. &c. & vt qui in sordibus est, sordescat adhuc, iuxta dicta dub. 2. Rectius ergo pro primo actu constituisset primam permissionem peccati, ob quod reprobatus est damnandus: secundum, indurationem in eodem, seu etiam permissionem nouorum peccatorum in poenam præcedentis peccati; tertium reiectionem à gloria, siue voluntatem damnandi.

Nos verò suppositis iis, quæ de vario reprobationis modo & effectibus diximus supra dub. 1. & 2. quatuor ad præsens institutum actus, aut quasi actus reprobationis distinguimus. Primus est, reprobatio negatiua à prima gratia congrua, præseruante hominẽ à primo peccato, ob quod damnabitur; quæ formaliter nihil aliud est, quàm negatio seu omisio electionis seu prædestinationis ad eandem gratiam congruam: quò consequenter spectat etiam voluntas non prædestinandi ad eandem primam gratiam congruam; secundus est reprobatio positiua ab eadem gratia congrua non prima, seu præseruante à primo peccato, ob quod reprobatus damnabitur: sed à gratia congrua liberante ab eodem peccato, seu præseruante à posterioribus peccatis, ob indignitatem reprobati, contractam ex peccato præcedenti; tertius est reprobatio negatiua à gloria; quæ formaliter est nõ præelectio, seu non prædestinatio ad gloriam; quo spectat etiam voluntas non prælegendi ad gloriam; quartus est reprobatio positiua à gloria, quò spectat absoluta voluntas excludendi à gloria, & damnatio æterna.

3 Sed & præter hos actus iam recensitos, quibus essentialiter peragitur reprobatio, pertinet etiam aliquo modo ad reprobationem scientia visionis, seu præscientia absoluta de peccatis reprobati futuris, & ad finem vsq; vitæ seu viæ permanens; quia actus quæ ratione inter sese habeant, dubium est. De quare non minus variæ sunt Doctorum sententiæ, quam in præced. dubitatione fuerunt adductæ, cum hæc ab eius resolutione pendeat.

Primò enim qui seuerius hac de re sentiunt, docent, Deum eundem ordinem seruasse cum reprobis, quæ cum electis; adeoq; in eodẽ signo rationis, in quo is quosdam efficaciter elegit ad gloriam, voluisse etiam & decreuisse absolute ac simpliciter, vt alii non consequerentur gloriam. Quare sentiunt, in ipsa etiam reprobatione negatiua à gloria, includi absolutam reiectionem seu exclusionem à gloria. Tribuitur Durando in 1. dist. 40. q. 2. n. 6. vbi hoc non reperitur, sed in r. d. 41. q. 1. n. 6. & propendet Corduba lib. 1. q. 56. notat, 5. opin. 5. & quidam alii recentiores apud Suarez lib. 5. c. 3. n. 1. Alii hoc restringunt ad quosdam solũ reprobos. Alii dicunt, saltem post præuileum peccatum originale, Deum non habuisse erga omnes reprobos simplicem voluntatẽ, seu complacentiam, quæ ipsos saluos esse vellet, sed potius erga nonnullos contrariam, quæ ipsos vellet eiectiones à regno, propter peccatum à

primo parente commissum, vel ab eis etiam contractum, etsi nondum præuisum esset à Deo in ipsis finaliter perseveraturum. Sed horum omnium sententia satis refellit ex dictis dub. præced. assert. 4.

4. Secundò igitur ex iis, qui moderatius sentiunt, Scotus in 1. d. 41. q. 1. hunc ordinem in reprobandis & prædestinandis hominibus assignat: In primo instanti, Deus nondum præuisis meritis vel demeritis, voluit Petrum V. G. beare, circa Iudam verò negativè se habuit: in secundo vocare statuit Petrus, & gratiam suam congruam illi dare; at circa Iudam eodè modo negativè se habuit: in tertio præfinit permittere, ut Iudas laboreret in peccatù, in eòq; perseveraret vsq; ad finem vitæ; quod simul èt ex villarum duarum negationum futurum præuidit; in quarto præuidens Deus utriusq; exitum, decrevit Petro dare gloriam, & Iudam æterno supplicio punire. Eandem Scoti sententiam tuentur Suarez hic lib. 1. c. 8. & 12. & 1. 5. c. 4. n. 9. Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arbit. c. 15. & pleriq; ex illis, qui prædestinationem ad gloriam factam docent ante præuisionem meritorum. Convenit autem hæc sententia cum præcedenti; quod reprobationem negativam à gloria factam docet ante præuisionem meritorum, & simul etiam ante reprobationem negativam à gratia.

5. Illi verò, qui prædestinationem ad gloriam factam esse docent post præuisionem meritorum seu mediocrum, non solum in eo à Scoto, & aliis pro duabus præcedentibus sententiis relatis, dissentiunt, quod reprobationem à gloria absolute & omni modo posteriorem faciunt reprobationem à gratia congrua; non agnoscetes scilicet reprobationem negativam à gloria, quæ sit prior reprobatione à gratia; sed consequenter è: utrumq; ordinem actuum antea relatum improbant: pro quo alium ipsi in hunc modum constituunt, ut videre est apud Vasquez disp. 9. 1. c. 2. In primo instanti Deus utriusq; tam reprobis quam salvandis, affectu simplicis cõplacentiæ, desideravit beatitudinè: quoad actum verò efficacem voluntatis negativè se habuit erga reprobos (adde iuxta hanc sententiam, etiã erga salvandos.) In secundo instanti positivè voluit permittere peccatum, adeoq; negare gratiam congruam reprobis; aliis verò eam dare. In tertio præuidit peccata ad finem vitæ perseverantia in reprobis, in aliis perseverantiam gratiam. In quarto voluit his dare beatitudinem, illos ab ea excludere: & damnare. Improbatur etiam Vasquez, circa Scoti opinionem speciatim, quod in primo & secundo instanti Deus solum negativè erga reprobos se habuisse dicitur. Sed ut bene advertit Suarez lib. 5. cap. 4. n. 5. Scotus in eo primo & secundo instanti non exclusit actum simplicis cõplacentiæ, nec actum seu voluntatem quasi reflexam, non eligendi illos ad gratiam vel gloriam: sed actum voluntatis efficacem, ut superius dub. 1. diximus.

6. Omitto etiam seriem illam instantium, à nonnullis recentioribus traditam, & superius q. 6. dub. 10. relatum, in qua tam prædestinatio ad primam gratiam congruam, quàm reiectio ab eadem, solo Dei arbitratu facta, penitus tacetur & præmittitur; ne videlicet in ea serie quicquam constituatur, unde fateri necessè sit, primum principium ac fontem totius prædestinationis ac salutis nostræ, in solo Dei arbitratu, ante omnem meritorum seu cooperationis nostræ præuisionem, constituendum esse; cum tamè negari minimè possit, primam eiusmodi gratiam congruam Deum,

& prædestinare, & denegare quibus vult, solo suo arbitratu, ut ex communi & certa ostensum est assert. 1. dub. præced. & supra q. 6. dub. 1. Unde èt constat, ab ea gratia congrua totius nostræ salutis summam & originem primario & infallibiliter pendere; cuius proinde in hac instantium serie cum primis habenda erat ratio; ut plane constaret, quo ordine ac processu salutis nostræ procuratio, vel etiam reiectio ab eadem, in diuina mente perageretur.

Omitto deniq; etiam eorum sententiam, qui ut nullum ordinem inter prædestinationem ad gratiam & gloriam, & meritorum præuisionem constituunt, ita si consequenter loqui velint, etiam nullam instantium seriem inter reprobationem à gratia & gloria, & præscientiam demeritorum constituere possunt, quos superius q. 6. dub. 2. refutauimus.

7. Iam verò ut iuxta nostram præcedentibus dubiis explicatam certi aliquid statuamus, hæc velut principia ex dictis supponimus: I. Voluntatem absolutam reiectiendi, excludendi, reprobandi à gloria, seu non conferendi gloriam, supponere præscientiam peccatorum, ad finem vsq; vitæ perseveranturorum; ut etiam Gregorius de Valentia, Molina, Suarez, Vasquez, & omnes quos noui, Societatis nostræ Doctores fatentur, contra primam sententiam, ex dictis dub. præced. assert. 4.

II. Voluntatem quoq; obdurandi in peccato perpetrato, supponere præscientiam eiusdem peccati, non quidè ut ad finem vsq; vite perseveraturi; hæc enim permissio requirit & sequitur obdurationem velut conditionem sine qua non; sed ut simpliciter futuri: quod ex communi rectè etiam tradidit Molina q. 23. a 5. disp. 3. & constat ex dictis dub. præced. assert. 5.

8. III. Voluntatem permittendi primum peccatum reprobis, ob quod damnabitur, non supponere scientiam absolutam vilius peccati futuri, sed solum conditionatam: secus est, si loquamur de voluntate permittendi consequentia peccata, quæ in penam nonnunquam peccati præteriti permittuntur, iuxta Scripturam Exod. 7. & Rom. 1. ex dictis dub. præced. assert. 1. & 5.

IV. Si de nuda omissione electionis ad gloriam, vel etiam de voluntate non eligendi ad gloriam, aut non conferendi primam gratiam, seu quod idem est, de reiectioe ab eadem prima gratia cõgrua loquamur, eam factam esse ante præscientiam absolutam peccati, adeoq; sine culpa ipsius reprobis; eius enim, nulla datur causa ex parte reprobis, ut dictum dub. præced. assert. 1. ex certa & communi.

9. V. Reprobationem negativam à gloria, secundum rationem, priorem esse reiectioe à prima gratia congrua; è contrario reprobationem positivam à gloria esse posteriorem reiectioe à gratia. Utrumq; constat ex dictis dub. 1. & 3. Quia reprobatio negativa à gloria facta est in eodem instanti, in quo facta est prædestinatio ad gloriam; reiectio itè à gratia congrua facta est in eod. instanti, in quo alii electi sunt ad gratiam congruam, ut dictum dub. 1. at verò prædestinatio ad gloriam facta est ante prædestinationem gratiæ & meritorum, ex dictis supra q. 6. dub. 4. Ergo & non electio ad gloriam facta est ante non electionem seu reiectioem à gratia congrua. E contrario verò reprobatio positiva à gloria, facta est post præuisionem peccatorum finaliter permanfurorum, præuisio autè, uti & futuritio ipsa

eiusmodi peccatorum, ob quæ reprobis damnatur, facta est primum post reiectionem à gratia congrua; cum peccata illa hanc reiectionem veluti conditionem supponant; si enim reprobi non fuissent reiecti à gratia congrua, non contraxissent peccatum, aut saltem non permansissent in peccato, ob quod damnabuntur. Ergo reprobatio positiua à gloriaratione posterior est reprobatione seu reiectione à gratia congrua.

10 VI. Prædestinationem proinde tum ad gratiam congruam, tum ad gloriam, priorem fuisse in mente diuina, positiua reprobatione, tum ab eadem gratia, tum à gloria: De reprobatione à gloria constat. De reprobatione positiua à gratia congrua patet ex dictis: quia hæc facta est in penam peccati, adeoque post præuisionem peccati, ad quod vindicandum Deus reprobos voluit obdurare: prædestinationem autem ad gratiam congruam, uti & reprobatio negatiua ab eadem, facta est ante præuisionem meritorum aut demeritorum, ut antea dictum. Atque hoc sensu rectè absolute cum alijs docent Vorri long in 1. d. 4. r. a. 2. & Eckius cent. 4. num. 87. in diuina mente prædestinationem fuisse priorem reprobatione.

11 Ex quibus denique totum negotium in prædestinandis & reprobandis hominibus, sic ordinari debet. In primo instanti, Deus omnibus tam reprobis quam saluandis voluntate simplicis complacentiæ, his verò etiam actu efficaci voluit gloriam: circa reprobos autem quoad eiusmodi actum negatiue se habuit; licet simul eam ipsam negationem volendo, voluerit eos non eligere ad gloriam. Secundo efficaciter voluit electis gratiam congruam, & media salutis æternæ re ipsa profutura: circa reprobos verò eiusmodi actum non habuit, volens potius ipsis non conferre gratiam congruam, sed eam quam solum fore sufficientem per scientiam mediam cognouerat; qua ratione simul etiam voluit permittere peccata reprobos. Tertio vidit scientia visionis malos sua culpa non cooperatos gratiæ destinatae, sed quouis modo peccatum contracturos, cum quæ eo finaliter decessuros; contrarium præuidit de electis, nimirum aut non peccaturos, aut certe in eo non finaliter perseveraturos. Quarto voluit Deus reprobos punire, ob eiusmodi peccata præuisa, in hac quidem vita, si peccator adultus esset, derelictione, & quandoque aliorum peccatorum permissione, qua in reprobis sensum, dati, à suo sine magis alieni futuri essent; post hanc autem vitam, æterna poena, seu damni & sensus simul, si peccata essent personalia; siue damni solius, si originale tantum: quoad electos autem supposita præuisione perseverantiæ eorundem, locum hic habet voluntas executiua, re ipsa conferendi eis præmium vitæ æternæ, ob præuisa merita, seu præuisam perseverantiam, ut dictum q. 5. dub. 10. Atque assignatus hic ordo nec Angelos quidem excludet, si in quarto instanti poenæ huius vitæ secludantur: cum Angeli statim post primum peccatum fuerint in termino, & poenæ æternæ addicti.

12 Cæterum contra hanc doctrinam, obijciunt, reprobationem negatiuam à gloria, æquipollere reprobationi positiuæ seu absolutæ reiectioni à gloria: Ergo si illa facta est in primo instanti, ante præuisa demerita, idem etiam de hoc dicendum erit.

Antecedens probatur I. quia prædestinationem illa à Deo in primo instanti facta est, ut impleatur mensura illa certa prædestinatorum, quam exigit proportio, quam habere numerus ille debet cum vniuerso, ex dictis cum S. Thoma q. 6. dub. 2. Ergo cum in eo instanti impletus sit numerus, non erit locus prædestinationum aliorum, uti in Architectonica circa lapides; & in conuiuio nuptiali, designatis hospitibus iam repleto accidit.

II. Deus ex vi illius prædestinationis in primo instanti factæ, certus est, neminem reliquorum fore saluandum; Ergo ceteri ex vi huius decreti, seu omni prædestinationis, absolute sunt exclusi.

III. Ex vi illius præelectionis in primo instanti factæ, prouenit, ut Deus circa omnes alios velit se habere negatiue, & non dare illis gratiam congruam, nec præfinire illis perseverantiam: Ergo in illa electione erga aliquos, & omissione erga cæteros, hi absolute censentur exclusi.

13 IV. Negatiua illa reprobatio æquipollere quodammodo tali diuinæ voluntatis decreto: Volo antecedente mea voluntate, plerisque hominum, non præuiso vilius peccato, non admittere ad gloriam, & supernaturalem beatitudinem: id quod parum videtur differre à Calvinianorum decreto, quo Deo negatur vniuersalis erga omnes saluandos, & serua voluntas, & reprobis consequendi salutem facultas, libertasque arbitrii.

V. Deus in primo illo instanti voluit omnes saluandos prædestinare: Ergo qui in illo instanti non sunt prædestinati, non saluantur; ac proinde iam sunt absolute exclusi. Quæ argumenta quamuis etiam aduersus prædestinationem ad gloriam ante præuisa merita, & vniuersim adeo etiam contra reprobationem negatiuam à gloria à nonnullis obiecta sunt, tamen commode hoc loco iam explicata reprobatione negatiua, eiusque causis, & ordine, dissoluentur.

14 Respondeo igitur ad argumentum, negando antecedens. Ad primam probationem respondetur: proportionem illam numeri electorum non consistere in diuisibilibus, sed habere latitudinem, ex dictis supra quæst. 6. dub. 2. Idem dico de mensura celestis ædificij, & numero nuptialis conuiuij: ad quæ tamen si quidam ab initio præ alijs fuerint præelecti, restat tamen facultas tam ex parte Dei, & magis illius Architecti, quam ex parte ipsius loci, seu palatij & triclinij, quosdam etiam alios præterea adijciendi, si accedere non renuant. Aliud est, quando inter homines ipsius ædificij, aut conuiuij destinati ratio non patitur, plures adijci, præter eos lapides, aut conuiuas, qui gratis & ab initio à Magistro vtriusque fuerunt præelecti, ut dictum etiam supra quæst. 5. dub. 5. ad obiect. 1.

15 Ad II. probationem negatur antecedens; nam ex sola illa præelectione certus non est Deus, annon plures sint accessuri: ea enim non obstante, etiam in sensu composito, plures accedere possunt, si ad finem cooperari gratiæ oblatæ velint, uti possunt; quo facto paratus est Deus, etiam stante priore prædestinationis decreto, istos etiam insuper prædestinare ad gloriam; ut dictum q. 6. dub. 4. & supra dub. 1. Dices: Deus saltem per scientiam mediam cognouit, si illos

in primo instanti prædestinaret, cæteros non fore saluos; sicuti cognouit, cæteros non fore saluos, si in eo instanti, in quo Deus aliquos prælegit ad gratiam congruam, illos præteriret. Ergo saltem ex vi illius primæ prædestinationis, accedente scientia media, certus est Deus, neminem reliquum fore saluandum. Respondeo negando antecedens. Nam præelectio aliquorum ad gloriam, nihil facit ad exclusionem aliorum ab eadem gloria, sicut præelectio aliquorum ad gratiam congruam, facit consequenter saltem ad exclusionem aliorum ab eadem gratia congrua.

Ratio diuersitatis est. Quia Deus habet duplicem facultatem prædestinandi ad gloriam, vnam ante præuisionem meritorum; alteram, post præuisa merita; quorum illa huic nihil derogat, vt dictum cit. quaest. 6. dub. 4. at verò non habet duplicem facultatem prædestinandi ad primam gratiam congruam, vnam ante præuisa merita, alteram post præuisionem meritorum: quia impossibile est, primam gratiam dari aut prædestinari ex meritis; si enim ex meritis, iam non esset gratia; proinde non electio gratuita ad gratiam congruam inuoluit absolutam reiectionem ab eadem gratia congrua; secus est de non prædestinatione gratuita ad gloriam, seu de reprobatione negatiua à gloria, vt fufius dictum supra dub. 1. Vbi etiam notandum, Deum non habere præscientiam mediam omnium futurorum contingentium sub conditione, si conditio disparata sit, nisi conditio illa accipiatur adæquatè & secundum omnes condiciones, cum quibus futurum re ipsa conexum est; vt dictum disp. 2. q. 8. dub. 5. qualis conditio in proposito etiam est, quod Deus neminem sit prædestinaturus in aliquo signo posteriori; quæ tamen conditio hoc ipso quod posterior est, & à signis posterioribus dependens, in primo signo impleta dici non potest.

16 Ad III. probationem respondeo, negando antecedens: quia etiam stante præelectione aliquorum ad gloriam, Deus æquè potest etiam cæteris velle gratiam congruam in posteriori instanti: hoc solum discriminis est inter utrosque, quod illis ex vi ipsius primæ præelectionis quodammodo debet gratiam congruam, velut vnicum medium necessarium ad consequendum finem efficaciter in priori instanti intentum; his autem, ex vi quidem præcedentis cuiusmodi electionis & intentionis, non debet; at potest tamen etiam, si velit, destinare gratiam congruam; sicut aduersarij dicunt, omnem gratiam congruam re ipsa esse destinam, ante efficacem voluntatem conferendi gloriam.

Ad IV. probationem negatur itidem antecedens, non enim æquipollet negatiua illa reprobatio decreto illi, quod in argumento obijcitur, sed solum huic: Volo antecedente mea voluntate plerisque hominum, non præuiso vllius peccato, non prælegere gratis ad gloriam; seu non destinare in hoc ipso quidem primo instanti ad gloriam; manente tamen facultate & voluntate saltem implicita prædestinandi etiam plures, in posteriori aliquo instanti, ex præuisis meritis, si ipsi sibi non essent impedimento: præelectio enim illa gratuita aliquorum non tollit, aut impedit facultatem aut voluntatem etiam prædestinandi alios, ex præuisis me-

ritis, si qui merita eiusmodi adferrent, vt sæpius dictum.

Ad V. respondetur, propositionem illam, Deus voluit in primo illo instanti omnes saluandos prædestinare; dupliciter intelligi posse, primò cum præcisione; secundò cum exclusione aliorum. Priori modo sensus est, Deus voluit in eo instanti sigillatim omnes & singulos istos, qui modò saluantur, prædestinare; non habendo tamen voluntatem absolutè excludendi alios, qua nimirum absolutè nollet etiam in sequenti instanti aliquos prædestinare, si in gratia decessuri præuiderentur. Et hoc sensu concessio antecedenti, falsa est consequentia, vt patet. Posteriori modo hic sensus redditur, Deus voluit in primo instanti omnes saluandos prædestinare; ita vt absolutè nollet quenquam etiam in vllò posteriori instanti prædestinare, quicquid tandem ipse esset facturus. Et hoc sensu saltem antecedens, ex dictis: quia non obstante prædestinatione in primo instanti, Deus habuit facultatem & voluntatem conditionatam, etiam prædestinandi alios, si in gratia deccederent.

Dices. Attamen voluntate illa aliquos præeligendi supposita, infallibiliter futurum est, vt nulli alij saluentur. Respondeo negando etiam hoc assumptum: nam ex suppositione sola illius præelectionis, hoc non sequitur, sed ex eo, quod ex reuelatione dicimus, eos qui modo saluantur, ex gratuita prædestinatione & præelectione saluari: reuelatio autem hæc posterior est illa præelectione; & præterea supponit futuritionem reuelatæ rei: proinde ex nulla sententia impedit, quò minus supposito præcisè primi instantis decreto, etiam alij possint saluari; seu quò minus etiam in sensu composito saluatio aliorum cõiungatur non quidem cum ipsa reuelatione, sed cum prima illa voluntate præeligendi alios; quandoquidem cum hac simul stare potest voluntas posterior, alios prædestinandi, ex præuisis meritis, vt sæpius dictum.

D V B I V M V.

An & quomodo reprobatio sit certa; & simul cum libertate arbitrary consentiens.

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 3. & 7.

17 **A**sertio I. Certa & infallibilis est reprobatio, certusque reproborum numerus, non minus quam prædestinatorum; non tamen ex simili præfinitione Dei, sed potius ex præscientia. Ita S. Thomas hic q. 27. a. 7. vbi ait: *Certus est Deo numerus prædestinatorum, non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiusdam principalis præfinitionis. Non sic autem omnino est de numero reproborum, qui videntur esse præordinati à Deo, in bonum electorum, quibus omnia cooperantur in bonum.* Consentunt huic doctrinæ communiter alij Doctores cum Magistro in 1. d. 4. 1. Ratio primæ partis est; quia scientia & voluntas Dei efficax, est certa & infallibilis: reprobatio autem ad scientiam & voluntatem Dei efficacem pertinet ex dub. 1. Secunda pars patet: quia Deus habet certam

& deter-

& determinatam cognitionem omnium futurorum; nec verò reprobilunt infiniti.

Tertia pars dupliciter potest declarari; primò, quia prædestinatorum numerus per se & propter ipsosmet electos à Deo prædefinitus est; numerus autem certus reprobatorum determinatus est à Deo solum in bonum & commodum ipsorum electorum; quare illorum numerus prædefinitus certus est, numerus autem reprobatorum non item; qui sensus colligitur etiam ex citatis verbis S. Thomæ, & clarius asseritur à Caietano ibidem, qui tamen nihilominus addit, considerando reprobos, *ratione subiecti*, siue naturæ, esse certum eorum numerum etiam prædefinitus. Secundus sensus, & magis ad propositum, atque ut existimo, etiam ad mentem S. Thomæ pertinet, quod numerum electorum Deus ex se, ante omnem præuisionem futurorum meritorum seu mediolorum, præfinierit: reprobatorum autem numerum non definiert, ex seipso, ante præuisionem futurorum, sed post præuisionem futurorum demeritorum & perseverantiam in peccatis. Quod quidem uti loquendo de reprobatione positiua, quæ proprie & simpliciter talis est, verissimum est, ita ad reprobationem extendere negatiuam non est necessarium; etiamsi ex hoc, quod Deus ex seipso aliquibus negat gratiam congruam, sequatur infallibiliter, eisdem esse reprobos positiue: nihilominus enim sicut ipsi reprobi positiue non sunt nisi post præuisionem demeritorum, ita nec certus eorum numerus, quæ tales sunt, à Deo decretus est, nisi post eandem præuisionem; adeoque ex præscientia, non ex prædefinitione, ut dictum.

Assertio II. Numerus reprobatorum absolutè videtur minor, quam numerus prædestinatorum. Colligitur ex dictis superioribus quæst. 6. dub. 2. & est sententia S. Thomæ in 1. d. 39. q. 2. a. 2. ad 4. ubi probabile censet, plures esse solos Angelos beatos, quam omnes damnatos, tam homines, quam Angelos simul sumptos. Ratio est. Quia licet inter homines multò plures sint reprobi, quam electi; tamen inter Angelos multò minor pars cecidit, ex communi; & quidem non supra tertiam partem, ut multi docent ex Apocal. 12. Ergo si ut communiter cum S. Dionysio cap. 14. cæl. hier. Gregorio homil. 24. in Euang. S. Thomæ 1. p. q. 50. a. 3. creditur, absolutè longè est maior numerus Angelorum, quam hominum, valde credibile est, absolutè ex utroque simul ordine hominum & Angelorum, multò plures esse electos, quam reprobos. Idem valde consonum est diuinæ bonitati, magis ad saluandum, quam damnandum propensæ. Quare autem plures inter homines, è contra inter Angelos pauciores damnentur, dictum est supra q. 6. dub. 2.

Dices. Ex hac assertione sequitur, aut non totam ruinam Angelorum per homines restaurandam, aut maiorem, quam tertiam partem inter homines fore saluam: utrumque videtur absurdum, & à communi sensu Patrum & fidelium alienum. Sequela probatur. Quia ex cit. Apocal. 12. vers. 4. tertia pars Angelorum cecidit, quæ longè maior est tertia parte omnium hominum ex dictis: ergo tertia pars omnium hominum non sufficit ad restaurandam totam ruinam Angelorum; ac proinde necesse est, aut plus quam tertiam partem hominum

saluari, aut non totam ruinam Angelorum restaurari.

Ob hanc fortasse causam Suarez hic lib. 6. cap. 3. num. 7. de hac re nihil in vtramuis partem voluit affirmare. *Totam*, inquit, *hanc comparationem existimo nobis esse ignotam: quia neq. in Scriptura, neq. in Patribus aliquid principium habet, & coniectura non possunt esse nisi infirma: totumq. pendet ex illa quæstione, an numerus Angelorum, quem Deus creauit, sit maior vel minor, quam totus numerus hominum multiplicandus vsq. ad diem iudicij. In qua ego nihil certum, neq. satis probabile affirmare possum.* Ita Suarez. Sed nihilominus respondeo, negando sequelam. Ad locum Apocal. responderi potest probabiliter, eum ad literam non loqui de Angelorum, sed hominum iustorum casu, qui per caudam draconis, hoc est, Antichristi operam, sub finem mundi seducuntur, ut recentiores nonnulli interpretantur: etsi per accommodationem seu allegoriam etiam ad ruinam Angelorum accommodari possit; non quod planè tertia pars; sed minor multò quam dimidia pars ceciderit. Cæterum cum hæc ita scripsissem, video etiam Suarez recens editum, lib. 1. de Angelisc. 11. num. 9. huic assertioni assentiri.

Assertio III. Reprobatio examussim cum libero arbitrio conuenit. Ita S. Thomas hic q. 23. a. 3. ad 3. & in similiart. 6. & est certa & communis omnium Theologorum, ac de fide, ut in simili de prædestinatione dictum cit. q. 6. dub. 2. Vnde etiam petitur ratio. Nam si prædestinatio non impedit libertatem, quæ tamen omnem vsus liberi arbitrij ipsius prædestinati antecedit, multò minus reprobatio; quæ si proprie & absolutè accipiatur, sequitur præscientiam vsus liberi arbitrij. Accedit quod negatiua reprobatio à gloria, per se non infallibiliter secum trahit damnationem, aut exclusionem reprobi à gloria, ut dictum dub. 3.

At verò si loquamur de reprobatione negatiua à gratia congrua, fatendum quidem est, eam & antecedere omnem liberum vsus ipsius reprobi, ac proinde in eius potestate non esse, ut dictum dub. 3. & nihilominus tamen supposita scientiâ media infallibili quodam nexu ac sequela secum trahere tum interitum eiusdem reprobi, tum perseverantiam in peccato eiusdem: posito enim, quod Deus non velit dare gratiam congruam, sed eam solum, quacum per scientiam conditionatam præuiderat, reprobum non cooperaturum finaliter, sed in peccato decessurum, certum ac infallibile est, eum non cooperaturum, quod omnes fateri debent: Hoc tamen non obstante, libertatem nihilominus arbitrij saluam consistere posse, eodem modo explicandum est, quod de prædestinatione dictum cit. q. 6. dub. 3. ut vel hanc etiam ob causam fateri necesse sit, non omnem conditionem præuiam actui seu euentui infallibiliter subsecuturo, impedire libertatem eiusdem actus; si modò alioquin absolutè & omnibus spectatis, maneat intrinseca libertas & indifferentia in operante. Adeundem enim etiam modum, tamen ex subtractione gratiæ congruæ in omni sententia infallibiliter sequatur damnatio reprobi, & perseverantia finalis in peccato, nihilominus tamen non læditur libertas: quia etiam denegatâ gratiâ congruâ, quamuis ante omnem vsus liberi arbitrij ipsius reprobi, nihilominus relinquitur reprobo gratia sufficiens,

cum

eum qua absolutè potest bene operari, & à peccato liberari, licet ex hypothesi infallibiliter sit in peccato perseveraturus.

6 Consentit cum his S. Thomas hic a. 3. ad 3. ubi libertatem arbitrij cum reprobatione non aliter concordat, quam his ipsis verbis: *Dicendum, quod reprobatio Dei non subtrahit aliquid de potentia reprobati. Unde cum dicitur, quod reprobatus non potest gratiam adipisci, non est hoc intelligendum secundum impossibilitatem absolutam, sed secundum impossibilitatem conditionatam; sicut supra dictum est, quod prædestinatum necesse est saluari, necessitate conditionata, quæ non tollit libertatem. Unde licet aliquis non possit gratiam adipisci, qui reprobatetur à Deo, tamen quod in hoc peccatum vel illud labatur (aut in eo perseveret) ex eius libero arbitrio contingit. Unde & merito sibi imputatur in culpam. Ita S. Thomas.*

7 Sed & Vasquez hic disp. 9. cap. 9. num. 5. & 6. 2. cum à nonnullis obiectum fuisset, contra certam illam & communem doctrinam, qua diximus, non esse in potestate nostra, non prædestinari ad gratiam eongruam, in hunc modum: *Si ex ipso Deo nasceretur, homines non prædestinari, sequeretur ipsi impossibile esse salutem; cum nullus sine prædestinatione saluari possit; quare si Deus antecedenti suo decreto aliquem non prædestinat, non respiciens ipsius peccata, sequitur in illius potestate non fuisse salutem: Ipse hoc argumentum primo ibi retorquet. Nam ut impossibile est, inquit, sine prædestinatione aliquem saluari, ita cum prædestinatione non potest aliquis damnari, ergo si Deus ex seipso absq. vlla ex nobis occasione, aut absq. eo, quod sit in nostra potestate, aliquem prædestinat (ad gratiam congruam, vt auctores illi cum Vasquez agnoscunt) consequitur, eum non posse damnari, quod sanè ita absurdum est, sicut aliquem non posse saluari. Hactenus bene argumentum retorquet Vasquez contra aduersarios, nos etiam contra ipsum, vt dictum disp. 2. q. 10. dub. 8.*

8 Postea verò idem Vasquez directè vtrumque argumentum dissoluens, ita pergit: *Vtriusq. autem eadem est solutio facilis & per uulgata; nempe necessitatem hanc, qua dicimus, prædestinatum non posse damnari, aut non prædestinatum non posse saluari, esse necessitatem consequentem, quæ sequitur solam scientiam Dei, (conditionatam necessario intelligere debet, non absolutam; quia etiam ante hanc infallibiliter vtrumuis futurum est, vt ex dictis constat) nec vllò modo nocet libertati nostræ, ac proinde ea non obstante, dicimus, quemlibet posse saluari aut damnari. Nam quamuis, inquit paulò antea Vasquez, Deus ex seipso voluerit aliquos non prædestinare, hoc est, gratiam efficacem illis non præparare, non sequitur, eos necessario damnari; siquidem eos non deseruit omnino, sed sufficienti auxilio præuenit, quo saluari possent, &c. Ita Vasquez, nullo modo negans, eam hypothesin, ex qua necessario futurum est, vt prædestinatus saluetur, & reprobus damnetur, antecedere libertatem nostram, cum sit ipsa præparatio vel negatio gratiæ congruæ, quarum neutra à nostra potestate dependet, vt ibidem ipse ex instituto probat. Habemus ergo ex eiusdem doctrina, quæ hac in re communis est omnium etiam cæterorum, vt dictum, hypothesin antecedentem liberam determinationem nostram non tollere libertatem nostram, etiam si quid ex ea necessario futurum sit. Plura loc. cit.*

9 Assertio IV. Est quidem de nomine questio potius, quam de re ipsa, an sit in potestate hominis reprobari vel non reprobari, siue etiã non prædestinari, vel nõ carere prædestinatione; relictum tamen absolutè negatur. Probat & declaratur. Affirmatiuam enim sententiam tradunt absolutè quidam recentiores apud Suarez lib. 5. cap. 8. num. 4. & Vasquez disp. 9. num. 5. 5. contra quos vterque docet, esse quidem in potestate nostra reprobationem positiuam, seu reiectionem absolutam à gloria, non verò reprobationem negatiuam, seu exclusionem à gratia, nomine videlicet reprobationis intelligentes passiuam, non actiuam.

Ego verò ob hanc ipsam nominis æquiuocationem distinguendum censeo. Nam aut loquimur de reprobatione actiua, vt est actus in mente diuina secundum se, & hic quia æternus est & immutabilis in Deo, propriè non est in nostra potestate; quia ad præteritum non est potentia, vt in simili de præscientia & prædestinatione diximus q. 6. dub. 3. licet ex parte quorundam effectuum siue obiectorum, sit in potestate nostra, puto quoad punitionem æternam, obdurationem, &c. Aut loquimur de reprobatione passiuâ, seu quod idem est, de executione reprobationis; quæ est actualis & realis negatio vel exclusio à gratia congrua, tum à gloria; & hæc partim est in nostra potestate, nempe quoad exclusionem à gloria; partim non est, quoad negationem gratiæ congruæ, saltem primæ: ipsa verò non prædestinatio, seu reprobatio, vt vocant, negatiua, nequaquam est in nostra potestate. Et quia quando aliquid duo coniunctim complectitur, quorum primum non est in nostra potestate, etiam si alterum sit, id absolutè loquendo rectius negatur esse in nostra potestate: ideo etiam de reprobatione passiuâ loquendo, melius simpliciter negatur, eam esse in nostra potestate; cum qua doctrina consonat etiam S. Thomas hic q. 23. a. 6. ad 3.

10 Atque ex his, quæ de reprobatione hæctenus docuimus, colligitur primum, quid respondendum sit ad quadam argumenta, quibus probari videntur reprobationem obtare libertati nostræ. Primum est contra id, quod de non prædestinatione paulò antea dictum est. Nam ex ipsa non prædestinatione nostra necessario sequitur damnatio; Ergo si illa non est in potestate nostra, neque ista. Respondetur necessario sequi, necessitate consequentiæ, seu infallibilitatis, non necessitate absolutâ siue consequentis: vnde etiam negatur consequentia. Non enim quando duo inter se cõuertuntur, ac mutuo se inferunt, & vnum est in nostra potestate, necessario etiam alterum est, vt patet in præscientia Dei, & obiecto præscito: propriè enim non est in nostra potestate, vt Deus hoc vel illud futurum non præscierit, aut non præsciat, & tamen est in nostra potestate, vt id ipsum (si alias vt supponimus sit in nostro arbitrio positum) fiat, aut non fiat.

11 Secundum est impium illud & vulgare desperatorum hominum dilemma, quod in simili ignauum sermone, seu ἀγροῦ λόγῳ merito antiqui etiam philosophi dixerunt, apud Ciceronem lib. de fato: Vel sum prædestinatus, vel non sum: si sum, certò saluabor, quicquid agam; si non sum, etiam si optime viuam, non saluabor. Simpliciter enim & rotundè ne-

ganda est subsumptio quoad utramque partem. Nam si es prædestinatus ad gloriam, per certa media bonorum operum libero arbitrio adhibenda prædestinatus es: ex dictis q. 5. dub. 4. eaigitur nisi adhibueris, nec prædestinatus fuisti, nec omnino saluaberis: si non es prædestinatus, damnaberis quidem, sed non nisi ob mala opera præuisa, ut dictum: quæ si vitares, ut per gratiam diuinam potes, certò & prædestinatus, & saluus futurus esses. Adde quod si argumentatio hæc aliquid valeret, tum nec in humanis quidem rebus vllus relinqueretur iustitiæ locus, Plu-

ra de hac re ex Patribus, & ipsis ethnicis Philosophis eruditè Eckius, in Chrysopasso cent. 4. à num. 89.

Atque hæc de arcano illo diuinæ prædestinationis & reprobationis mysterio, ad laudem omnipotentis Dei, & humiliationem omnis creaturæ, sub potenti manu eiusdem Dei, satis. Quia ut præclare dixit Augustinus lib. de bono perseuer. cap. 24. *Prædestinatio diuina prædicanda est, ut non in homine ac nobismetipsis, sed in Domino gloriemur, &c. Quod donum qui non habet, non dubito dicere, alia quacunq; habet, inanimè habet, &c.*

ANCHORA ANIMÆ DEVM TIMENTIS, ET in profundo diuinæ Prædestinationis pelago securè nauigan- tis: vna cum breui Synopsi totius Disputationis de eodem argumento.

Ex Ioanne Gerson lib. 1. de consolatio. Theol.

Placet hic quasi coronidis loco, pro animarum Deum timentium solatio, veram ac solidam rationem subijcere, qua quisque ex doctrina hæctenus tradita, de arcano hoc & inscrutabili gratuita prædestinationis, ac iustæ reprobationis Dei mysterio, non futilem aliquam & inanem, sed salubrem sinceramq; in Deo consolationem, ac in pietate profectum capere possit. Quamuis enim in hunc sensum non pauca disseruimus supra quæst. 5. dub. 5. dum argumenta aduersariorum dissoluere-mus, qui hoc vel maxime argumento exosam reddere doctrinam illam conabantur, quod & ad desperationem, & ad pietatis neglectum homines inducat; adeo ut non nemo etiam scripserit, *nescire se, ad quid sit utilis persuasio illa de absoluta electione, ante omnem (absolutam) operum præuisionem, nisi ad licentiam vitæ & desperationem*: non abs re tamen erit, ut ea que ibidem diximus, magis roborentur, quid de hoc argumento grauis & antiquus Theologus, ac vir vnde- quaque doctissimus ac piissimus, ante annos plusquam ducentos scripserit, ob oculos ponere.

Is est Ioannes Gerson, Doctor & Cancellarius Parisiensis, quem nostræ planè etiam sententiæ de gratuita prædestinatione ad gloriam subscripsisse, inferius patebit, & supra etiam cit. quæst. 5. dub. 3. testatum fecimus. Hic cum ex Concilio Constantiensis discendens, Franciam propter minas Ducis Burgundie repetere non auderet, secessit in confinia Bataua, ibique in oppido Rattenberg, quod nunc ditionis Tyrolensis est, Anno Domini M. CD. XVIII. Boëtium imitatus, sui solandi causa dialogum conscripsit de consolatione Theologie: in quo duos Interlocutores statuit, *Monicum & Volucrum*; quorum vterque subinde Gersonis meminit. sub nomine *aduersarij seu peregrini*.

In hoc opere libro 1. profa 2. Monicus difficultatem mouet, an & quare ratione ex consideratione diuinorum iudiciorum, quod antea Volucer ex mente Gersonis dixerat, solatium percipi possit; cum diuina iudicia in quibus de prædestinandis atque reprobandis hominibus agitur, non solum sint occulta, sed etiam planè terribilia, atque ad desperationem

potius, quam consolationem gignendam idonea, his verbis: [*Incipio, inquit, grauioribus, quam antea serupulis vrgeri, &c. Tradit (enim) philosophia vix perscrutabilem diuinæ prouidentie viuacitatem, præsertim dum ad eam confertur humani libertas arbitrij, cum certa præcognitione futurorum. Sed ecce superaddit Theologia difficultatem in immensum, minus inuestigabilem, neque comprehensibilem; dum quosdam ex hominibus recipit iudicandos in curia gratiæ vel misericordie, & æternæ beatitudinis participes facit. Alios verò multò plures damnat in æternum sua Iustitiæ severitas, dicente eo. Multi vocati pauci verò electi. Mirum autem, si quis in hac recogitatione constitutus, non perturbetur, & totus horrore tabescat, qualiter abscondita non est consolatio ab oculis suis, iuxta Scripturæ verbum, dum ita Deus inter fratres diuidit.*]

Ad hanc difficultatem Volucer, ex mente peregrini, hoc est Gersonis, rem ita edisserere occipit. [*Fatendum est, inquit, in primis Monice, quod hæc consideratio iudiciorum Dei, qui terribilis est in consilijs super filios hominum, si cum superba curiositate recensatur, præcipitat in illam Sapientis damnationem, Qui scrutator est Maiestatis, opprimetur à gloria; exterminationem (forte, exterminat omnem) bonæ consolationis virtutem: denique in reprobam de Deo desperationem, & in odiosas, rabidas, & insanas blasphemias demergit, & absorbet: hoc in viatoribus aliquibus; hoc in damnatis omnibus operatur. At verò consideratio talis, si cum debita humilitate & reuerentia fidelis & pij cordis assumitur; si cum captiuatione omnis intellectus, in obsequium fidei reuoluitur, nullam existimat peregrinus noster potiore vel efficaciore, ad consecutionem legitimæ consolationis, viam diuinitus elargiri. Nonne senserat hoc Propheta, dum suspirans ait, Memor fui iudiciorum tuorum à seculo Domine, & consolatus sum. Quam consolationem nescio si vehementius expressit alio loco, is qui dixit. Et exultauerunt, id est, extra se salierunt, filie Iuda, propter iudicia tua Domine.*]

Sed Monicus, quam difficilis & odiosa sit hæc dif-

feratio

sertatio admonens, ita pergit vrgere: [Oferuandum est obsecro, Volucer, ne minus sobria fortassis & insolens sit huius doctrinæ traditio; quoniam stultorum infinitus est numerus, carnalium & arrogantium, quinon capiunt, quæ Dei sunt, si non dixeris ea, quæ versantur in corde suo, & quæ suo ingenio penetrare se gloriari possint.]

5 Ad hoc ex mente Gersonis Volucer exemplo Apostoli se defendens, ita respondet: [Corrigit, inquit, & repellit tuam hanc hesitationem conscius arcenorum diuinorum Apostolus, qui satagens contentionem gentilium Romanorum & Iudæorum, qui susceperant fidem, comescere, collocauit rotas disputationis suæ velut centrum & cardinem supremum, considerationem diuinæ prædestinationis & præscientiæ, ab illo loco. Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præsciuit, & prædestinauit, &c. Usque dum exclamat, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ illius. Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis cõsilarius eius fuit? aut quis prior dedit ei, & retribuetur illi? Illic inferit, quod non volentis, neque curreatis, sed miserentis Dei est, & cuius vult miseretur, & quem vult indurat: & quod nõ ex operibus, sed ex vocante dictum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Apostolus igitur, Doctor gentium in fide & veritate, inter quas erant insipientes, multæ carnales & superbae, si præmissam eis considerationem pro sua ædificatione non timuit exponere, quatenus eas & Iudæos mutuo reduceret ad legitimam pacis & charitatis formam; quo pacto verendum erit inter Christianos, præsertim eos, qui de sua salute solliciti sunt, consideratione ista uti, quæ apud eum talem de sua salute consolatione, suorumq; similitum operata est, vt affereret, Certus sum enim, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque foritudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Poterat autem certitudo talis accipi de certitudine reuelationis diuinæ, si Paulus de se solo loqueretur: sed dum connumeravit alios electos Dei, conuenientius intelligitur hoc esse dictum de certitudine spei, quæ tranquillitas quantum sit operatiua, satis admodum propheta Regius exposuit, qui dum gloriabundus in Domino dixisset, In pace in idipsum dormiam & requiescam, subintulit pro causa spem dicens, Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.]

6 Hinc autem Monicus rationem perueniendi ad hanc pacem & animi tranquillitatem perquirens: [Scire velim, inquit, ò Volucer, quo studio vel industria deuenit aduena noster (Gersonem intelligit) vt in hac pace in idipsum fruereetur.]

Ad quod Volucer ex mente Gersonis, ne plus nimio huic tribuisse videatur, respondet: [Accipito verba mea sobrie; neque enim dicere præsumo, nisi quod aspirat, & aspirare suadet ad illam pacem in idipsum, cum Propheta dicere, Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore; si forte aliquando desiderium sui, & similitum paupe-

rum exaudiat Dominus, & præparationem cordis eorum audiat auris sua. Scit enim quoniam nemo repente fit summus; scit quoniam munus hoc gratiæ magis est, quam industriæ. Nihilominus Doctorum deuorum scripta relegens, Theologia dicitur, his vt conatur industrijs, ne sibi met deesse putetur, Deumque tentare videatur. Enititur experimento cognoscere, quæ sit illa pacis consolatio, qua sobrie in ebriatus exclamat Psalmita: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Signanter ait, Abscondisti: quia nec ab habentetradi, nec ab eo qui non habet capi potest: est quippe nomen nouum in calculo candido scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.] Et mox Boerij imitatione, in glyconium melos crumpens, ita con-

Magnum crede nimis bonum,
Inius quo valeas frui,
Extra non liceat loqui.
Certè nescit homo vetus,
Intro quid sapiat nouus:
Hoc est manna reconditum,
Sensus quod capis intus.
Quæris, qualis est sapor?
Aurem, verba quæ quid paras?
Gusta; post videas, licet,
Degens frater agro senex,
Quærit gaudia, quæ domi
Frater iunior accipit.
Cecus mel tonachus prius
Gustat; protinus hinc videt.
Mel nobis lapidum DEVS,
Quæ fastidia tollere
Mundi noxia fastidi.

7 Sed quia suauitas hæc diuinæ consolationis in nostra potestate sita non est, non imprudenter Monicus petit, vt Volucer sepositis ad tempus his affectus deuoti sentimentis, ex ratione ipsa modum solida consolationis, ex arcano prædestinationis & reprobationis diuinæ mysterio eruendæ, explicet. Quamobrem eodem libro I. prosa 3. prius intelligere cupit, quamnam particulatum sit ipsius aduena (Gersonem intelligit) de profundo hoc mysterio sententia, quæque circa illud exercendæ mentis ratio: [Omiseris, inquit, interim Volucer, verbum, super istis affectus deuoti sentimentis, de quibus stat sapientia, quæ in mysterio abscondita est. Hæc est Theologia mystica, de qua tractatus fratris (Gersonis) apud me seruo, quosdam latino, quosdam vulgari scriptos stylo. Sed super his altera fortassis dicere fiet. Perge verò prosequi de spe, respondens ad pauucas interrogationes meas, qui secretorum aduena nostri conscius, Recogitane supremum Iudicem Deum, homines ex massa peccatrice prædestinasse quidem, hos ab æterno sempiternæ beatitudinis fore participes; alios verò præscitos & reprobatos ad supplicium perpetuum?]

8 Ad hoc Volucer Gersonis mentem explicans respondet: Recogitat Monice, & id sanè frequenter. Pergens Monicus: [Accusatne, inquit, diuersum huiusmodi iudicium Dei, tanquam propterea sit in eo saua quædam crudelitas, & indigna bonitate sua summa. ?]

Respon-

Respondet Volucer, simulque quæ sit Gersonis de diuina prædestinatione sententia, ita declarat: [Abfit, inquit, Monice, talis aduersus Deum blasphemia. Neque enim personam accepisse, neque iniuriam fecisse dici potest, qui nulli debitor est. Quod notauit Apostolus dicens, O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic? annon habet potestatem figulus lutum, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Talis apud homines similitudo plurima reperitur, nedum super rebus vita carentibus, sed animatis, quibus vtuntur pro arbitrio suo, alijs ad mortem, alijs ad conferuationem: nec arbitrantur, se vel iniuriæ, vel crudelitati obnoxios esse. Quid si vult Deus in magna domo sua manifestare diuitias gloriæ suæ; istis in ostensionem misericordiæ, alijs in manifestationem suæ iustitiæ, glorificans illos ex misericordiâ, istos ex iustitiâ derelinquens; quatenus resulter carmen illud pulcherrimum, ex grati tenore iustitiæ, & molli cantu misericordiæ, de quali proficitur Propheta, Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Quod si pauciores sunt, qui saluentur, manifestior est in hoc gratia Dei; quemadmodum inter surdos & claudos mutos & mortuos, pauciores sunt, qui miraculo curantur, quam qui propriæ conditioni relinquuntur. Verum dum ad singularia fit descensus & inquisitio, cur videlicet Petrum, & Paulum Deus elegerit ad salutem, Iudam verò, & diuitem epulonem dereliquerit, oportet, vt humana garrulitas apponat digitum ori suo, hoc vnum proficiens, quod iustus est Dominus, in omnibus vijs suis. Itaque sicut nulla potest assignari ratio, cur inter tot res possibiles fieri, ista non, illa facta est, nisi beneplacitum Dei: ita de recreatione seu regeneratione ad vitam spiritualem, multò magis dici debet. Neque confugiendum est ad illorum merita, vel opera, quos ab æterno prædestinat Deus, quia si ex operibus, iam non ex gratia. Sed neque priorem æternam Dei voluntas causam habet, qui fecit omnia propter semetipsum, impium quoque in diem vindictæ. Nihilominus fatendum est, quod nemo sine culpa damnabitur, sicut absque gratia saluabitur nullus.] Hactenus Gerson in persona Volucris, suam de gratuita Dei prædestinatione etiam ad gloriam sententiam perspicue exposuit, & quam non sit aliena à diuina perfectione & bonitate declarauit, vt retulimus etiam q. 5. dub. 3.

9 Verum quia vniuersalia minus mentem commouent, quam singularia, nec difficile est à longè belli pericula, si ad te interim non pertingant, contemplari; quærit porrò Moniceus, num peregrinus ille, (Gerson) sibi ipsi etiam eam considerationem diuinæ prædestinationis, & incertum diuinorum iudiciorum applicet. [Pergo, inquit, inquirere consequenter, si hanc aliquando nosse peregrinus considerationem super se & ad se reflectit; meditans ne forte sit ex numero reprobatorum; neque enim gloriari potest, se peccatum non habere, neque de alia massa esse, quam ceteros.]

10 Ad hoc ex mente Gersonis respondet Volucer: [Dicā illud Monice, quod sentio. Meditatur aliquādo secum conquerens, quid si iusto Dei iudicio damnandus est? Si reperit in dispositum cor suum, ad humilem huius considerationis susceptionem, derelin-

quit eam, & ad alia se conuertit; quemadmodum fieri consilium est, in tērationibus vel interrogationibus carnalium peccatorū, vel experientij searum rerum, quæ sunt difficillimæ electionis: Vt si quærat aliquis a semetipso, Malles membratim lanatus moris, quam illecebroiæ voluptati mulieris pulcherrimæ consentire. Si verò percipit affectum suū Deo propitio tranquillum, humilem, & suauē, sicut imprecatur Apostolus: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in spe & virtute Spiritus sancti, sistit, pederentim tamen & cautē, in hac recogitatione, si forte damnandus est. Cuius apprehensione nequaquam remurmurat secundum præsentem affectum & sensum de diuina iustitiâ. Sed humiliatus dicit, Insuper Domine, & rectum iudicium tuum.* Non quod damnationem eligat; absit; quia nec Deus hoc vult ipsum velle; sicut nec peccare, nec desperare, dum viator est. Dicit potius cum Iob, *Etiamsi me occiderit, tamen in ipso sperabo* Et conuersus ad Dominum, cum pio & humili affectu, Scio, inquit, æquissime Iudex, quoniam damnati in inferno te odiunt, te inuitum, te inuidum, te crudelissimum iudicant, te blasphemant; tibi Sanctiſque omnibus ore rabido maledicunt. Scio quod illic constitutus (heu memiserum) sic agerem. At verò dum interim affectibus tam efferis & blasphemis careo, amo te qui solus es amabilis; te iustissimum, te amantissimum, te clementissimum diiudico; te collaudo, tibi Sanctiſque omnibus tuis ore pio benedico; quicquid postremò de me futurum ordinauerit voluntas tua; credo, & ore profiteor, quoniam nulla est iniquitas apud te, qui sanctus es in omnibus operibus tuis.]

Comprobat hoc responsum Moniceus, velut magna perfectionis documentum; sed locum tamen habere nō putat, nisi apud eos, qui peccare planè desierunt. [Placet, inquit, distinctus iste modus habendi se circa recogitationem diuinæ prædestinationis seu præscientiæ. Nam sicut in primo curiositas temeraria, sic in secundo meritoria valde humilitas exerceatur. Videre simile est in aspectu vel recogitatione formosæ mulieris, vbi periclitaretur in continens, continens verò fortiter habitatus, vt eretur ad virtutem. Video, quod amor hic gratuitus est, non mercenarius, non recuruus; hæc affectio filialis, vel fidelis sponsæ; quem amorē, quia domus sua est, (forte quia dominus suauis est) non acceptare non potest, quia diligentes se diligit. Beatus quia ascensiones in corde suo disponens, ad hunc gradū pene supremum peruenit. Sentio deinceps magis ac magis, quo medio potest hæc consideratio pacem quandam & consolationem operari: ita tamen si sit apud homines, qui peccata iam non iterant. Nam iteratio peccatorum quid aliud pretendit, quam reprobationem & interitum? Attento, quod spes non ex meritis proueniens, præsumptio est, non spes æstimanda.

Non placet vnde quaq; hæc exceptio Gersoni; quare ex eius mente respondet Volucer: [Scio, o Monice, quoniam nemo est, qui viuit, & non peccet; quando & septies in die cadit iustus. Et beatus dicitur à Psalmita, non qui non fecit, sed cui non imputauit Dominus peccatum. Mirū fortasse videbitur quod dicturus sum, Inuenire est hominem (Gerson ipse videtur indicari) qui quantò pluribus impugnatur tērationibus, quantò renitens eis pluries vincitur, vel in vora-

citategulæ, vel in forniculosa dormitatione, vel in stimulorum carnis crebra perpeffione, & alijs huiusmodi, tantò frequentius, certius, & ideo fortius, quia humilior, in Deum se projicit, de Deo sperat, & confidit. Consultò quidem, dum nullam videt in se fiduciam resistendi vitij, neque virtutes & salutem adipiscendi repositam. Fallor, si non ita David egerit, inquiens, *Impulsus euerfus sum ut caderem, cuius innixus est auxilio? & Dominus suscepit me.* Rursus cum ab hominibus desperatio sibi improperearetur, quia tulerat ouem, & pastorem occiderat, & dicerent, *Non est saluus ipse in Deo eius; ipse solidiori spe Deo filius respondebat, Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.*

Monicus etiam hoc responsum approbans, modum rogat exponi, quo securus quisque in Dei adiutorio habitare possit: [Vt intelligo Volucer, inquit, ita se res habet; quod apud verè humilem, quanto minus est in se spei, minus in ope aliena fiducia, minus denique vult constituere iustitiam suam, tantò plus spei, plus fiducia de Deo concipit, plus quoque iustitiæ Dei sit subiectus, dicens ex sententia. Mihi autem adherere Deo bonum est, & ponere in Domino spem meam, clamans ei, In tua iustitia (planè non in mea) libera me. Postremò magis intelligere nunc videor, quæ in deuotorum libris legi de introductione sponsæ in cubiculum sponsi, de osculo oris eius, post osculum manuum & pedum, de habitatione præterea in adiutorio altissimi, non in habitatione vel meritorum propriorum, quæ vana est, vel pœnarum futurarum, quæ anxia, vel industriarum propriarum, quæ timida est & incerta. Certa verò qualiter esse possit in adiutorio altissimi, inter tot vitæ discrimina, inter tot criminum lapsus, inter tantam electorum paucitatem, edisseras velim.]

14 Ad hoc quæsitum respondet Volucer: [Rerum ista conditio est, ô Monice, vt in suos fines tendant, quibus adeptis quiescunt, adherentes eis, hoc de grauibus deorsum, hoc de leuibus sursum videre est. Est autem humani cordis desiderium & pondus in Deum, sicut in locum suum & centrum ferri; est supremum, post quod non relinquitur aliud humanæ peregrinationis refugium. Superest igitur nihil, infra quod, vel vltra quod possit humanum se cor deflectere, vel fugere, dum pondere suo constituit, adherere Deo, nunc interim per spem, fidem, & amorem; neque enim sibi dat aliter status præfens. Porro sicut aliquis dicitur adherere certitudinaliter loco alicui vel baculo, dum totis viribus ita stare vult; non aliter spem certam dicimus, per deliberatam voluntatis adherentiam. Neque enim spes est in assensu & vi rationali, sed desiderio & expectatione virtutis irascibilis tendentis in ardua; quod desiderium, tendentia, vel expectatio; reperitur in virtute spei cum tanta certitudine per adherentiam voluntatis, quod per nullius tentationis vel recognitionis insultum vult ab ea semet auellere. Consurgit ex radice simili certitudo in assensu fidei, dum per nullas rationes vel phantasias fidem impugnantes, vult derelinquere, quo minus stet in fide, ad obediendum Dei & meriti conquisitionem.] Ita Volucer.

15 Qui mox spei plenus, hac suauis ode responsum claudit:

*Quæ montis alto stat iugo
Quercus, suis radicibus
Defixa, nitens fortiter,
Ventos & imbres non timer.
Assimil hinc plus virum,
Quo plus in imo se locat,
Concussa venti turbine.
Sic spes ferens tentamina.
Anthem inuictus fuit,
Dum cautus incubans humi,
Non vult in altum surrigi,
Elatus illico perit.
Quæ collocatur saxo
Domus loco fideliter,
Venti, pluuiaq; & flumina,
Deficiant, nunquam ruit.
Habere vos spe firmiter
Vestro loco nitamini.
Vester locus certò Deus;
Quo spes reponit certior.*

Vt verò declaratur, qua ratione nec reprobi quidem in hac vitæ à spe sint exclusi, proponit Monicus præfata 4. eiusdem lib. 1. hanc difficultatem: [Visum est aliquibus, inquit, ô Volucer, quod spes in præfatis (seu reprobis) semper sit erronea. Id enim se putant habituros, quo carebunt. Alij volentes hanc absurditatem euadere dixerunt, spem in hoc conditionali existere, si legem Dei obseruauero, saluus ero.]

Ad hoc quæsitum, Volucer actus spei modum ac rationem declarat, ac simul de nullo in hac vitæ desperandum admonens, ita respondet: [Monice, nec hoc vltimum sufficit ad spem; stare enim cum desperatione talis conditio. Nec primum sobrie dictum est, quod Deus obliget reprobos ad errandum, sicut obligat ad sperandum. Proinde spes ad certam beatitudinis expectationem sic se habet. Ponit sibi per fidem, quod est aliqua talis beatitudo; iungit, quod ad illam pura liberalitate & gratia (aduerbis lector gratiam prædestinationem ad gloriam) Deus ab æterno quosdam prædestinat & eligit. Addit quod ad consecutionem huiusmodi finalis beatitudinis, ordinauit media conuenientia, varijs modis, sine numero: inter quæ medium præcipuum est gratia, quæ ideo dicitur vitæ æterna, quia pignus eius est vel arrha. Hanc autem gratiam nulli dedit, neque daturus est, nisi per medium Mediatoris Dei & hominum, &c. Cæterum specialiter instructa per fidem, quæ fuit est oculus, figit in primis desiderium suum ad beatitudinis adeptionem, tantquam ad finem; & ab illo desiderio nequaquam vult auelli. Deinde desiderat media quælibet ad huius finis consecutionem, per Dei prouidentiam ordinata, per arma iustitiæ, sicut dicit Apostolus, à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam. Fides itaq; rursus dicit ei, quod diligentibus Deum & sperantibus in eo, omnia cooperantur in bonum, sicut tradit Apostolus, quod omnia nostra sunt, cõformiter ad Christum: Primum quærite regnum Dei, & omnia hæc adicientur vobis; neque talium aliquis prædestinatorum peribit vnquam. Quod contra fit de reprobis, quibus omnia cedunt in malum, etiam aliena bona, quæ in scandalum fi-

bi vertunt & ruinam. Nihilominus quoniam ignotum nobis est, quos vult inter homines Deus & qualiter saluos fieri, operandum est bonum aī omnes, vel orando, vel commonendo, vel hortando, vel increpando, vel ab erroribus & vitijs abducere satagendo. Ita sagena charitatis concludit in se bonos & malos, separandos in die iudicij.

17 Præterea si ex peccatis electorum diuina bonitas potest, scit, & vult elicere bona, non tamen idcirco mala bona sunt, vel eligenda, sed cauenda penitus plangendaque. Collaudandus autem benignissimus & omnipotens Deus, qui malis nostris non solum non vincitur, sed ex eis operatur bonum nostrum. Sic enim dicitur sub peccato omnia conclusisse, scilicet permissiue, vt omnium misereatur. Peccauit Petrus; humilior, cautior, & misericordior effectus est, non actione mali, sed miseratione Dei: peccauit Magdalena; plus postea dilexit, quia multum sibi dimissum est, & in exemplum penitentiae cæteris cessit: blasphemus fuit Paulus, constitetur humiliatus, quod non sit dignus vocari Apostolus, & est inter peccatores primus; denique iucundatur pater & epulatur in receptione filij prodigi: & gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Quis nesciat proinde pauperes dum de stercore peccatorum erigit eos Deus collocans in gloriam cum principibus populi sui, quod in ampliores erga diuinam benignitatem assurgunt gratiarum actiones? Non quin innocentia præseruata, seruataque plus habeat dignitatis & gratiæ, cæteris paribus; sed in reparatione deperditæ magis eminet misericordiæ benignitas.

18 Miserandum verò est, quod in reprobis agitur è diuerso. De virtute & humilitate superbiunt; & gratiis Dei donis vel ingrati, vel tepidi sunt, vel in suam & aliorum perniciem & Dei inhonorationem abutentes vertunt: ita vt eorum quandoque fiat oratio in peccatum, hic per ingratitude; in inferno autem per blasphemiam infanriorem. Recordantes enim, quem admodum fuerunt aliquando supplices Deo, hæc & illa bona facientes, venerantes sanctos sanctaque omnes cum deuotione, quidni rabidiori contabescant odio, & maledictis latent aduersus Deum, sanctos, sanctaque omnes? præsertim eos, quos præcipue coluerunt, eos inuidos, eos crudelissimos, impios & ingratos, qui non ipsos à tormentis, cum possent, eripiunt, acclamantes. Quid ergo dicemus ad hæc? Faciemus igitur mala, vt Deus eliciat bona, vel bona vitabimus, ne contingant mala qualia tetigimus? Absit; propter id enim, quod per accidens est, non debet illud quod de perse est, variari.]

Collaudat hanc doctrinam Monicus, & ait: [Horresco, Volucer, hoc audiens, & videns te super admirabili via niti pro consolationis ademptione, dum tremendæ & contrariæ desolationis memoriam subinducis.]

19 Non contentus autem Volucer modum tradidisse, quo mens humana spe subnixæ, diuinis altissimæ & gratuita prædestinationis consilijs acquiescat; simul etiam ostendit, quantum ea consideratio ad veram humilitatem & in spiritu profectum valeat. [Hic modus est, inquit, hæc ars Theologiæ, credideris Monice, quod sicut per stultitiam & scandalum

prædicationis crucis saluos fecit credentes, sic per insipientiam trahit ad sapientiam, dicente Apostolo; Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Non aliter vult eadem Theologia per summam desperationem de homine, trahere ad iummam de Deo spem; & per desolationem inestimabilem & intolerabilem, sursum ducere ad solidam consolationem. Addideris, nullam esse recognitionem, quæ plus ista radicaliter euellat ab humano corde superbiam, de sese per aliquid magnum præfumentem, cui resistit Deus, quæ magis in supergignat & nutriat humilitatem legitimam sub Deo, & ad homines, vitijs procul expulsi, quæ fert secum superbia. Nam qua fronte poterit aliquis fratrem suum qualemcunque deinceps vel odio, vel ira, vel inuidia prosequi, imò nec animo, quod reprobis sit, iudicare, quod videt, se de eadem massa peccati, in eadem damnatione esse, neque scit, quid sibi crastina pariat dies? Quod si voluerit gloriari de bonis suis, mendax est, si non habet; si habet, illa gratis accepit à Deo; quid ergo gloriatur, quasi non acceperit? Quid præterea iudicet alienum seruum, qui Domino suo stat aut cadit: stabit autem; potens est enim Deus statuere illum. Sub hoc intuitu dixisse putandus est Apostolus, Venit Deus saluos facere peccatores, quorum primus ego sum: Primus intellige, quo nullus prior, videns se cum alijs æqualiter filium iræ, & ex eadem peccati massa esse, quales venerat saluare Deus.]

Rogat hinc Monicus, quodam compendio tradidit modum, quo spes in Deum firmetur: [Intelligo, inquit, materiam bono de timore, & spelatam (Ex amplam) esse; vellem traderetur sub compendio modus, quo præcipue spes stabilitur.]

Ad hoc Volucer: [Nimirum stabilitur à Deo, cuius supernaturale donum est. Sed si particulari usaliquid exigit, inuenitur quadruplex meditatio, quæ velut in tetragono firmissimo gestat spem. Vna meditatio est diuinæ iussiois, vt speres: altera diuinæ promissionis, si speres; tertia immensæ Dei pietatis, ne desperes de suis miserationibus; quarta propriæ fragilitatis, ne speres in te, vel in proprijs viribus. Dic igitur cogitationi tuæ sollicitanti spem deserere, dum non facis certam vocationem tuam per bona opera, quotidie corruens de peccato in peccatum, ingerenti proinde, ne sis de multis vocatis & non electis; sicut vita tua similis est multorum; dic respondens, quod obedis iubenti Deo, qui mille locis Scripturæ sacræ præcipit, vt speres in eo, cui dicit; Exurge Domine Deus in præcepto, quod mandasti; projicio me in te iubente te, non es crudelis aut fallax, vt abijcias me, iuncta præsertim multiplici promissione tua, qua sperantibus in te pollicitus es, quod liberares eos, eriperes, saluares, & glorificares; cuius demum tam immensa pietas est, vt nullis peccatis etiam infinitis (si commissem ea solus) vinci possit hic in via: quodque interposuisti cum immobilitate consilij tui iusurandum, vt per duas res immobiles, sicut loquitur Apostolus tuus, quibus impossibile est, mentiri te, nos fortissimum solatium habeamus ad tenendam propositam spem. Quamuis enim sis inobligabilis à creatura tua rationali, quicquid agat pro te, vel erga te, voluit tamen dignantissima condescensio tua commercium quoddam habere cum hominibus, vt bene de te mereantur, si

tur, si iussa tua compleuerint, & in te sperauerint, qui fidelis es, & te ipsum negare non potes. Hæc tu ita Deo.

21 Postremò dum propria fragilitas obijcitur, vt desperes; desperes volo; sed de te, & in te, qui homo & caro es. Nam maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Sed hic occurrit trepida cogitatio, dicens, qua ratione conabor declinare vitia, virtutes acquirere, seruare mandata Dei, sine quibus sperare vitam ingredi iam non spes est, sed arrogans & infidelis præsumptio? Conaberis profusus; sed in adiutorio altissimi, & milles victus milies conaberis; eò quidem amplius & certius, quò nulla tibi superest fiducia de proprijs operibus. Propterea dicitur Salomon finem concionationis suæ, dum proferre vellet, *Serua mandata, præmisit, Deum time*: quia videlicet ab ipso est bonum, & velle, & perficere.

22 Acceptat hanc doctrinam Monicus, & exemplo S. Augustini confirmat: [Retineo, inquit, quòd in soliloquijs similia de se confessus est Augustinus: *Sperabam, inquit, aliquando in virtute mea, quæ non erat virtus: & cum sic volui currere, ubi magis stare credebam, ibi magis cecidi, factus sum magis retrò, quam ante. Dicebam enim, hoc faciam, illud perficiam, fiebatq; post nec hoc, nec illud; quoniam de meis viribus confidebam. Nunc autem confiteor tibi, Domine Rex, Pater celi & terra, quoniam non in fortitudine sua roborabitur vir; vt non gloriatur ante te stulta præsumptio omnis carnis.*]

23 Pergit Volucer exercitationem Gerfonis in consideratione huius argumenti vterius exponere. [Traducit, inquit, aduena noster (*Gerfonem intelligit*) meditationem hanc etiam vsque ad Angelos & Sanctos; dum attendunt horrorem diuinorum iudiciorum in damnatis. Canimus enim, quod tremunt Angeli atque Archangeli; tremunt, intellige, non ex formidine sue damnationis, quibus inest gloria & securitas; sed eò magis ex aliorum damnatione quasi si tremere & pauere, in se deficientes, resiliunt in adiutorium vnicum Deum, adhærentes ei, se fragiles, & nihilo similes reputantes, sine eo. Ad didit de humanitate Christi, quod sicut in Esse suppositi sic innititur personalitati filij Dei, quod propriam deserit, nec in se subsistit: ita in Esse gratia vel gloriæ innititur Deo, & nullatenus in se. Et ita de Sanctis, quanto perfectiores, tanto humilior & reuerentius in adiutorium Dei resiliunt. Quo contra de reprobis; qui magis refugunt à Deo, & ad se confugiunt, quò damnabilis puniuntur; quoniam in ipsis est amor sui vsque ad contemptum Dei; sicut in alijs est amor Dei, vsque ad contemptum sui. Denique spes velut anchora, quanto minus in arenulis fragilibus & fluidis humani auxilij figitur, tanto solidius & certius supra firmam petram, quæ Christus est, defixa stabilitur.

24 Quod si quæsierit aliquis, quid igitur de illis, quos non saluat Deus? Responsum habeat, quod velut animalia propter homines creata sunt, ad obsequiorum varietatem, illa blandiendo, ista sæuendo; intelligere sic habemus, propter electorum salutem præciosos esse formatos, siue nocere, siue obsequi contentur; vt non gloriatur omnis, vel obsequens electis, vel aduersarius eis.

Neque tamen ita sunt accipienda, quæ dicta sunt, quasi tollatur libertas arbitrij; fortificatur siquidem magis & instituitur; sed in Deo viuificante per gratiam, quæ est velut anima quædam, vitam habens in potentia ad vitam secundam, ad meritariam videlicet operationem. Itaque sicut operatio animalis præsupponit Esse naturæ, sic operatio spiritualis vitam gratiæ. Sed neque audiendus est Cicero, qui vt libertatem in hominibus statueret, abstulit à Deo prouidentiam. Neque rursus ex aduerso recipiendus alter, qui diuinam prouidentiam sic instituit voluit, vt arbitrio nostro necessitatem imponeret. Proh nefas; etiam in peccatis dicens, Deum velle & facere nos peccare, in manifestationem gloriæ suæ. (*Nota hic lector, Calvinianum dogma à Gerfone ante ducentos annos damnatum.*) Porro viam mediam & regiam tradit Theologia reuelata, fide subnixâ, qua gradiendum est, etiam vbi ratiocinationis contrariæ dissolutione plena non pateret.]

Acceptat hanc doctrinam Monicus; sed ad eam percipiendam singulare lumen gratiæ diuinæ necessarium proficitur: [Existimo, inquit, quod has sententias nec in experti satis capiunt; nec experientiam de re potest industria, niu præuenient in benedictionibus dulcedinis, & cooperante Dei gratiâ, valde ineffabili modo. Et hoc est Dei donum scire, à quo postulanda sit & impetranda talis gratia. Multa enim dicimus, & deficiamus. Verbum autem abbreviatum & consummatum facit sapientia, dum in animas sanctas se transfert, delicias suas computans esse cum filijs hominum, in quibus benedictum est Deo, quia sperauerunt super misericordia eius.]

Concludit denique totam hanc dissertationem. Volucer hoc metro:

*Vnus è multo nauis profundo
Dum regit nauem, uentus & imber,
Et procellarum turbida moles,
Serpentinis motibus uergens,
Proximam nauis crebro minantes
Nauis age cladem morte; adesse
Nisitur sis arte magistra;
Nis in expertum corde pauenti
Segner linquens; omnia solers
Tentat, ut nauis litora capret.
Si mali uero tanta molestat
Seuens pestis, iamq; latratu
Terrei auditis Scylla canino,
Attahens gulpho cuncta voratis,
Non opem possunt ferre sodales,
Pars & in præceps ultro laborat,
Scitq; nauclerum stertere puppi,
Obstupet talis quis, nihil ultra
Viribus fidit, spes nec in arte est;
Respicit celum, vota Deo dat,
Aut mari sese deiecit alto,
Nudus enatans, si scopulorum
Prominens saxum suscipit ipsum:
Vel sinu tui conditur antri,
Laudat excelsam gratior; illi
Dicit, euasi sorte benigna.
O reseruatam sanctius olim
Obsequi fas sit, Christe, tibi me;*

*Rursus aut si me nauigio das,
Vt illo fac prosperiore.*

Hactenus Gerson,

Ex quibus luce clarius est, tantum abesse, vt gratuita prædestinationis tum ad gratiam, tum ad gloriam sententia, veræ pietati quicquam officiat vel incommodet; vt potius ei plurimum adminiculetur; Primò enim veram ac profundissimam aduersus Deum ac proximum submissionem menti inserit; non frivolum illam, qua sua quisque in seipso bona, seu naturæ seu gratiæ, quæ à Deo accepit, ignoret, aut ignorare se simulet; hæcque ratione omnibus inferiorem se profiteatur; sed qua se nihil eorum à se habere; nec sibi ipsi ad salutem sufficere; nec suis meritis, siue gratiæ largitionem, siue primam gloriæ destinationem; sed vtramque soli gratuita ac beneficentissimæ Dei voluntati ac misericordiæ imputat; vt non in seipso, sed in Deo gloriatur omnis caro.

Secundò, spem solido ac firmissimo robore stabilit; dum eam non in arena, hoc est, in seipso, ac suis viribus vel meritis, sed in Dei infinitate & gratuita bonitate ac misericordia præcipue collocandam suadet; ita vt etiam inter peccatorum lapsus, qui humana fragilitate non nunquam accidunt, spes non fatiscat; sed eò magis in Deo firmetur, quo minus in seipso ad æternam salutem consequendam præsidij homo inuenit; & vt Gerson ait, quanto tentationibus renitens pluries vincitur, tanto frequentius, certius, & ideo fortius, quia humilior, in Deum se projiciat, de Deo speret, & confidat; hoc ipso, quod nullam videt in se fiduciam resistendi virijs, neq; virtutes & salutem adipiscendi repositam.

Tertiò. Veram & non mercenariam erga Deum charitatem nutrit; dum Deum propter se suamque summam bonitatem, non propter commodum amantis diligendum proponit; affectumq; diligentis eo prouehit, vt etiam si sciret, se in altera vita damnandum, Deum tamen in hac vita pro viribus diligere firmiter constitutum haberet. Vbi tamen illud simul ex Gerson prudens documentum in praxi obseruandum, vt quando homo non bene se dispositum ad tam sublimes pietatis affectus sentit, cogitationibus illis de occultis Dei iudicijs, suæque prædestinationis aut reprobationis incertis decretis non inhæreat, sed potius alijs rebus cogitandis animum applicet.

Denique hæc sententia occulta Dei iudicia nec inuestigare, nec reprehendere; sed plenam & omnimodam erga Deum diuinamque voluntatem ac iudicia resignationem submissionemque exercere docet; vt homo velut lutum in manu figuli aduersus Deum non murmuret, sed iustissimæ dispositioni Dei penitus acquiescat; de nulla re sollicitus, nisi vt Deum non offendar. Quæ omnia cum homo, cum auxilio gratiæ præstare satagit; Quidni Gersoni pari pietatis affectu succinat, Deoque authori & fonti salutis nostræ hæc ode gratuletur:

*Iustus es magni Dominator orbis;
Sive dum cælo recreas Olympo
Cælites; siue ex crucias Auerni
Faucibus haustos.*

Tom. I.

*Debitor nulli, tua bona sorte,
Quæ placet, liber tribuis, negasq;
Nec licet cuiquam tua sub steram
Facta vocare.*

*Si quis immensos pelagi tumentis
Gurgites, paruo poterit lebetæ
Claudere, aut vasto numerare merfas
Æthere stellas;*

*Si quis extremo digiti mouebit
Caucasum, vel quas iacit Æthiæ flammæ
Oris afflatu, modicæ ve iactû
Sopiet vnda;*

*Hic tui sensus Deus arbitrator
Adsit; hic causas operum requiras;
Hic tui magnus, licet, esto Iudex;
Grande tuendo.*

*Mentis hic nobis acie latentes
Explicet causas, Iacob & Esau
Cur pares causâ, haud fuerint eadem
Sorte beati.*

*Vnus ambobus Genitor sacrorq;
Stirpeter magni status Abrahami;
Vna profudit Genitrix virumq;
Fata gemellum.*

*Nec boni quicquam meriti ferebant;
Nec mali: diæ tamen iste menti
Vixit exosus, per amarus illes;
Neuter iniquæ.*

*O inaccessas latebras Tonantis
Conspili; o nunquam penetranda abyssus;
Quam iuuat solum iactat præcantes
Mente vocare.*

*Iustus es magni Dominator orbis;
Sive dum cælo recreas Olympo
Cælites; siue ex crucias Auerni
Faucibus haustos.*

SYNOPSIS.

26
S Itaque hæc etiam totius Disputationis nostræ, de hoc profundissimo diuinæ prædestinationis mysterio Synopsis. I. Est planè in Deo prædestinationatio, qua certissimè saluantur, quicunque saluantur. II. Est reprobatio, qua certissimè damnantur, quicunque damnantur. III. Illa actus vndiquaque gratuitus est diuinæ bonitatis & misericordiæ; hæc actus diuinæ iustitiæ. IV. Illa fons est & origo omnis boni salutis, & ad vitam æternam, nobis profuturi; hæc causa est non peccati, sed pœnæ, & damnationis æternæ. V. Non ergo bonum aliquod nostrum simul aut prius est diuina prædestinatione, sed posterius. VI. Culpa tamen & peccatum nostrum prius est decreto pœnæ & damnationis. VII. Sic perditio tua Israel, tantummodo in Deo auxilium tuum. VIII. Poterat Deus omnes; aut non hos, sed alios pari conditione & iure prædestinare; sed non voluit: illud, quia minus conueniebat; hoc, quia ita placuit. IX. In pari conditione assumpsit quos voluit; deseruit quos noluit: vtrumque sine iniuria. X. Non hi digniores erant, aut magis dispositi, vt prædestinarentur: sed Deus quos voluit elegit; alios reliquit: utrosque sine præiudicatis meritis.

Vu 3

XI. Qua-

XI. Quare & gratiam congruam prædestinatorum propriam illis selegit; illis non item: utriusque sine meritis. XII. Gratiam tamen sufficientem largitur omnibus; nec vel in prædestinatis, vel in reprobis vsum liberi arbitrij interuertit. XIII. Vult seriuo, hortatur, præcipit, incitat, allicit, ut omnes saluentur; atque ideo bene operentur, ac in finem perseuerent, uti possunt. XIV. Neque verò aut illos sine præiis meritis vsque ad finem perdurantibus saluat; nec istos sine demeritis damnat. XV. Corona ergo ex meritis confertur; quæ gratis prædestinatur: pœna & damnatio sine præiis demeritis nec infligitur, nec destinatur. XVI. Eo maius beneficium est Dei prædestinationis, quo minus ex debito est impensum. XVII. Tanto magis agnoscitur hoc beneficium Dei, quanto paucioribus est impensum. XVIII. Nemo ergo de bono efferri debet, quia si verè bonum, & ad vitam æternam conducibile est, ex abyssu gratuitæ miserationis & prædestinationis Dei est depromptum. XIX. Hæc est abyssus misericordiæ Dei, quod in pari causa damnationis, quibus voluit est misertus. XX. Hæc est abyssus diuinæ iustitiæ, quod in pari occasione miserendi, quos voluit damnauit. XXI. Hæc est abyssus humane miseriæ, quod solam miserendi materiam exhibere potest, non causam. XXII. Non prius, non simul, sed omni modo posterius est miseratione, quicquid in nobis ad miserendum mouere poterat mis-

ricordem Deum, præter miseriæ. XXIII. Hæc nostra miseriæ diuinam exaltat misericordiam; & diuina misericordia nostram detegit miseriæ. Ita abyssus miseriæ inuocat abyssum misericordiæ, ne absorbeat ab abyssu iustitiæ.

XXIV. Sed nec lege ordinaria infallibiliter, quisquam scit, prædestinatus ne sit, an reprobus; sed omnia in futuro seruantur incerta. XXV. Omnes tamen bene sperare possumus & debemus; nec desperare de quoquam, dum viuimus. XXVI. Multo minus contemnere quenquam; aut superbe efferri contra quenquam; quia nescimus, an ille fortè prædestinatus sit, non reprobis. XXVII. Multi enim hodie viuunt iusti, & sunt reprobis; multi viuunt peccatores, & sunt prædestinati. XXVIII. Inter spem ergo & metum, dum tempus habemus, cum diuinæ gratiæ auxilio, omnibus parato, operemur bonum ad omnes. XXIX. Certi enim sumus, nos saluandos, si vsque in finem in bono perseueremus, uti possumus; nec aliter: certi nos damnandos, si culpa nostra deficiamus in bono; nec aliter. XXX. Humiliemur denique sub potenti manu Dei; & occultis quidem, sed iustis tamen iudicijs eius acquiescamus. Ut nec in se gloriatur omnis caro; neque de Deo desperet vlla caro; sed

Deum pie glorificemus omnes, dum viuimus, beati plañe futuri, si ita vixerimus. Amen.

FINIS DISPUTATIONIS TERTIÆ.

INDEX DISPUTATIONIS IV.

DE SANCTISSIMA TRINITATE DIVINARVM
personarum.

Quæstio I. De personis diuinis, earumque numero, similitudine, æqualitate, identitate, ordine, & perfectione, secundum se, & in genere.

Dubium I. Quid nomine Trinitatis, personæ, hypostasis, substantiæ, vsq; & essentiæ in diuinis intelligatur.

II. Qua ratione Trinitatis mysterium à nobis in hac vita cognoscatur; an etiam naturali ratione & euidenter.

III. Quis sint personæ diuinæ.

IV. Qua ratione dissoluenda sint obiectiones, contra sanctissimæ Trinitatis mysterium pugnantes.

V. Qua ratione vocula & ratio personæ communis sit omnibus personis diuinis, & de singulis prædicetur.

VI. An præter tres substantias & hypostases personales, sit in Deo substantia quadam absoluta non personalis & communis omnibus tribus personis.

VII. Qua ratione personæ diuinæ se habeant ad essentialiam, ac attributa essentialia; & quomodo tum de utrisq; inter se comparatis; tum vniuersim de his

quæ pertinent ad unitatem & pluralitatem in Deo loquendum sit.

VIII. An & quomodo diuinæ personæ sint inter se similes æquales, (saluo tamen originis ordine) & idem in essentiâ, atq; in se mutuo existentes.

Quæstio II. De processione siue origine diuinarum personarum.

Dubium I. An, quales, & quot sint in Deo processionis personarum, siue ad intra.

II. An processionis personarum immediate sint à natura, seu essentiâ diuinâ; an per aliquam eius operationem, & qualem.

III. Per quam operationem intellectus aut voluntatis procedant diuinæ personæ.

IV. Sitne in diuinis actus intelligendi & amandi principium quo producendi personæ; an ipsa productio.

V. Quodnam sit principium quo & potentia productiua personarum, seu actuum notionalium; quisve terminus formalis eorundem actuum.

VI. Vtrum processionis seu productionis personarum sint actus voluntarij & liberi, an naturales, seu per modum naturæ.

VII. An